

PETRI ANDREÆ MATTHIOLI
EPISTOLARUM MEDICINALIUM,
LIBER QUARTUS.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS,
Ulyssi Aldrouando Bononiensi Medico
S. P. D.

Disputatur an Larix nostra, sit Larix Plinii & antiquorum.



UO D Epistolam illam meam, quam antea ad te miseram, tanto ere laudibus effers, facis id tu quidem humaniter & amice, & ego me hercule mihi ipsi plurimum hoc nomine gratulor, praesertim cum Robertelli viri Doctissimi (ut scribis) iudicio, non parum, tum elegantia, tum doctrina alicujus nomine probetur, id quod ipse mihi vix persuadeo, quando ne mihi quidem in eis satisfacio, qui tamen scripta mea, qualiacumque sint, aspernari non soleo. Atqui multo magis tuo nomine gaudeo, quod meis argumentis persuasus, jam de Picea & Pino in aliam 20

Larix nostra eadem cum antiquorum. Argumenta contra Matthioli sententiam

tionibus, de pinu & picea differere tibi sese offerat occasio, meam non solum auditoribus asserere sententiam, sed etiam comprobare. Pro qua ingenui animi tui erga me propensione, si eas tibi gratias non referam, quas me tibi debere non ambigo, boni consulas velim quod plura nunc prestare non valeam. Verum ut cognoscas, quam promptus sit Matthioli animus in tuis expediendis petitionibus, etsi, qua nunc tibi a me scribi de Larice desideras, factu di- Aug, non admodum facilia sunt, non tamen pratermittam ob eam, quam de me concipisti spem, quin omnibus modis tua satisfaciam voluntati. Quod itaq; in commentariis nostris in Dioscorid. nulla dubitatione scripsi, Laricem nostram ab antiquorum Larice nihil differere eam ob rem rationibus nonnullis persuasus, dubitare te semper affirmas, imo etiam credidisse videris, arborem quam Laricem vocamus, illam non esse, de qua scribit Plinius. Et ne videaris prater rationem hac in re hesitare, plura contra sententiam meam in medium asfers argumenta, sic inquit 30

Responsiones ad argumenta Plinii pluribus in locis sibi contradicere, in Resistorum arborum histor. Plinius notatur. Arborum quae perpetua coma virent.

indagator. Hec tua sunt argumenta, qua in hanc te vocarunt dubitationem. Ea cum mea sane sententia (ut statim audies) firma non sint, sequitur ut nec tua vera sit conclusio. Imprimis autem cur Plinio credam, Laricem perpetuo virere, nihil est, quod me moveat, tum quod reperiam in resinosarum arborum historia, pluribus in locis illi sibi ipsi contradicere. & satis confusus de his omnibus scribere, tum etiam quod videam affirmasse illum, Terebintho & Tamarici folia non decidere, cum tamen nos contrarium videamus. His accedit alia etiam ratio, qua Plinii fidem mihi maxime suspectam reddit. Siquidem ubi eas recenset arbores, quae perpetuo virent: Sylvestrium generis, inquit, folia non decidunt Abieti, Larici, Pinastro, Junipero, Cedro, Terebintho, Baxo, Ilici, Aquifolio, Suberi, Taxo, Tamarici. Inter utraq; genera sunt: Andrachne in Gracia, & ubiq; Uredo. Cetera vero omnes extra praedictas (etenim numerare longum est) folia deperdunt. Sed hoc est falsum, cum Picea, Phyllirea, Licium, Cistus, Myrtus, Oleaster, Thunia, Sabina, Sylvestris Laurus, Phellodrys, Celaster ubiq; perpetuo folio vireant. Ceterum cum hac omnia ex Theophr. l. 1. c. 15. transcribat Plinius, non deest suspitio, quin ipse nullo apud Theophrastum (ut plerumq; id fecisse animadvertimus) Laricem vererit. Quod sit, ut hac in re nulla mihi Plinio sit addibenda fides. 40

Laricem non esse de bere foliis aculeatis. Ruellius notatur. Plinii locus in Laricem restitutus.

Præterea, quod antiquorum Larix foliis fuerit aculeatis quodq; ejus cortex levior sit, quam Picea, non satis quidem exploratum habeo, cum Plinii ipsius testimonio, etiam contrarium probari possit, etsi fortasse ob non intellectam Plinii lectionem, in hoc aberraverint Ruellius, & alii docti viri. Quippe qui Plinium non intelligentes, ea quae de Larice l. 16. c. 10. idem scribit Plinius, Picea tribuerunt. Etenim si locum ille diligentius expendatur, facile cognoscet quispiam Grammaticum, & Latina lingua peritum, lectioni subesse mendam. Ut autem me vera narrare, & Laricem Plinii ipsius testimonio acuminata folia haudquaquam proferre cognoscas, exponam in primis vulgatam Plinii lectionem, quam non intellexerunt viri illi doctissimi: deinde vero facile tibi detegam ibi proculdubio quandam deesse particulam, quam si tuo addideris Plinio, statim eorum deprehenderis errorem. Plinius itaq; loco prius citato (ut vulgatum legit exemplar) sic habet. Sed Picea minus alta, quam Larix: illa crassior, leviorq; cortice, folio villosior, pinguior, densior, molliorq; flexu. At Picea rariora siccioraq; folia, & teneriora & magis argentea, totaq; horridior est, & persusa resina. Hunc itaq; locum si diligenter expendere, non magno sane negotio cognoscas Piceam, non Laricem cortice esse levior, & pungentia habere folia. Nam ubi Plin. ait, Picea minus alta, quam Larix: illa crassior, leviorq; cortice, nemo qui Latina lingua fuerit peritus & Grammatica non ignarus, affirmabit unquam particulam. ILLA, referri debere ad Laricem, sed ad Piceam tanquam ad priorem & remotiorem particulam. Præterea, si illa omnia, quae sequuntur, Picea assignaret Plinius, non fuisset illi opus per transitivam disjunctivamq; orationem paulo post dicere: Sed Picea rariora siccioraq; folia. Nam hac disjunctio manifeste demonstrat prius aliqua de Larice dixisse Plinium. At tu si vis hunc locum restituere, & omnibus reddere clariorem, ita tuum castigabis Plin. ex meo manuscripto. Illa crassior leviorq; cortice, hac (id est, Larix) folio villosior, pinguior, densior, molliorq; flexu. At Picea, &c. Quod si non feceris, haudquaquam recte hunc explanabis locum, nec ullum unquam vivum illi dederis sensum, imo in pluribus sibi contradicere Plinium cognoscas. Siquidem si de Picea illum loqui dices, cum ait, illa crassior leviorq; cortice, dicas item oportet, Picea historiam sequi, cum inquit, folio villosior, 50

- fior, pinguior, densior, mollior, flexu. Sed quomodo fieri possit ut ea folia, qua prius fecerat villosiora pinguiora, densiora, molliora, illico fecerit rariora, sicciora, tenuiora & magis algentia tibi ipse tu iudex esto. Quamobrem si hac omniarede expendere, illico animadverteres in vulgari, ubicunque edita sit, Plinii lectione, desiderari particulam, Hæc, non solum ex Plinio manuscripto, sed ex depravato lectionis sensu. Quia omnia cum vera sint, falsum esse convincunt. Laricem esse cortice Picea leviorē & pungentia habere folia. Siquidem villosum & spinosum contrario modo se habent. Nam villi, pili sunt tactu molliissimo, qui quantum a spinis differant, haud te latere non ambigo. Ideoque Plinius cum sciret Larici folia non esse aculeata, eadem villosiora, pinguiora, molliora, pilorum modo habere scribit, quemadmodum in nostra visuntur Larice. Id quod eodem cap. repetit de Larice pariter scribens his verbis. Mas brevior & durior, Famina procerior, pinguioribus foliis & simplicibus atque non rigentibus. Nec velim putes dixisse Plinium, Famina non esse rigentia folia, ad maris differentiam, quod ibi. AT QVÆ, nil aliud significet quam etiam. Id est, etiam non rigentibus. quemadmodum in mare videmus, alias sibi ipsi in eodem fere loco contradiceret Plinius, ex allatis superius rationibus. At si objiceret, eundem scripsisse Plin. lib. 16. cap. 24. Pino, Picea, Abiete, Larici, Cedro, pungentia inesse folia, cum hac videam transcribere illum ex Theophr. l. 1. c. 15. de plantarum historia, nec ibi Larici ulla fiat mentio, vereor sane, ne Plinius ibi Theophrasti alio Laricem verterit, ut alius in plerisque locis idem fecisse annotavimus. Quia quidem per versione persuasus Theodorus Plinii potius sequutus errores, quam Græcam Theophr. fidem, Theophrastum ipsum in quam plurimum locis pervertit. Siquidem ubi Theophrasti codex habet, ἡ δὲ δένδρον ἐστὶν ἡ δένδρον, Theodorus vertit, Pini quoque, Larici Abietis atque, etiam Cedri extremitate pungentia folia insunt. Quod etiam fecit lib. 5. c. 2. de historia. Ibi enim Theophrastus habet, ὅσον ἐστὶν, ὅσον, πικρὸν. Quæ verba perperam vertit Gaza, ut Abies, Pinus, Larix. Atqui non hic solum πικρὸν Laricem in-vertit, sed lib. 2. c. 6. & lib. 5. c. 1. & 9. cap. 1. & 2. de historia. Quinetiam de causis lib. 1. c. 21. & lib. 5. c. 24. & lib. 6. cap. 18. ac aliis plerisque, in locis, quæ in Latino Theophrasto castigare poteris. Quod autem Plinius Pinum sæpe perperam pro Larice acceperit, constat ex eo, quod lib. 16. c. 10. scripsit his verbis. Laricis morbus est, ut tæda fiat. Quandoquidem Pini proprium est hoc, non Laricis. Id quod apertissime comprobatur Theophrasti testimonio, qui lib. 3. c. 10. de historia sic habet, Morbum Pinis accidere talem Idæi incolæ narrant, cum non solum cor, sed etiam pars extrema caudicis in tædam transiverit, tunc strangulare quodammodo, quod sponte accidit libertate arboris largissima, quoad quis conjectare possit. Tæda enim totum efficitur. Ergo hæc Pini propria affectio est. Hactenus Theophrastus. Id quod hic in Bohemia, ubi ingentissima Pinorum sylva ubique ferè habentur, continuo videmus. Præterea Plinius loco superius citato scribit, Laricem usque radicibus repululare nunquam. Picea vero contra. Quibus manifeste deprehenditur, hic etiam perperam Laricem pro Pinu usurpasse illum. Etenim Theophrastus eodem lib. & cap. nuper citato, Pinum, inquit, adusta radicibus nunquam regerminare, Piceam regerminare quidem affirmant, ut in Lesbos accidit incendio monte Pyrrheo, qui Piceis scatet. Adhuc lib. 24. c. 6. Larici & Piceæ foliorum ex aceto decoctum, dolori dentium prodest, ex Dioscoride idem transcribit Plinius. Atqui Dioscorides non ex Laricis foliis id parari medicamentum ait sed ex Picea & Pini foliis. Sed de his alia fortasse plura. Quod autem non florere Laricem nec fructum ferre Plinius dixerit, ad id nil aliud respondendum videtur, quam quod, cum in huiusce plantæ historia pluribus alioquin modis hallucinatus sit, non videam quo pacto ejus possum comprobare sententiam, præsertim cum et si ipse affirmanter scribat lib. 16. c. 25. Illicem, Piceam, Laricem, Pinum nullo flore exhalare, Theophrastus tamen lib. 3. c. 6. de historia plantarum florere Pinum & Piceam, nec negare nec affirmare. Sed florere utrangue, apertissime testantur Bohemia sylva, ubi florida quotannis inspicuntur Pinus odore (ut ego mihi testis esse possum) haud quidem ingrato. Quo fit, ut Plinio mihi subscribendum non sit, præsertim cum videam negasse illum. Populum, Myricam, Alnum haudquaquam fructum ferre, nec Bacchium florem, cum tamen hoc falsum esse sciant, non solum rei plantarum periti, sed coriarii ac vetula.
- Postremo negas antiquorum Laricem nostram esse posse, quod Plinii, Vitruvii & Palladii auctoritate, satis sit comprobatum, Laricem non ardere nec igne unquam accendi. Atqui velim ut si Plinio perpetuo tibi credendum statuero, statuas etiam eidem Plinio credere, proculdubio ardere Laricem, ubi igni admoveatur. Quandoquidem lib. 16. c. 12. in Macedonia Laricem masculam urere Macedones scribit, Faminæ radices tantum & ex his parare carbones. Quibus jam certior fies, quæ nolle sibi constitit Plinius in Larici historia, quamque de ea fabulose scripserit Vitruvius, a quo Plinium transcripsisse, non ambigimus. Caterum quæ vana ac futili ducantur opinione qui Vitruvii ac Plinii auctoritate freti, Laricem nostram genuinam non esse contendunt, quod eam facile accendi comburique videant, præter Macedones, ipsa manifeste testatur ratio. Siquidem cum tam antiquorum quam recentiorum scriptorum consensu, præsertimque ipsius Vitruvii & Plinii Larix prapinguem liquidam & copiosam resinam fundat, mellis Attici colore, quæ perinde ac bitumen igni admotæ, quam celerrime accenditur & vehementissime flagrat, ignari imo potius solidi hominis est, credere Laricem prapinguem, resinofam & resiniferam arborem, quæ (si Plinio credimus) facile tabescit in tædam quæ nihil est ad ignem accendendum aptius, ignem respuere, cum lapides ipsi, qui sui natura flammis nunquam flagrant, ubi tamen bituminoso succo redundant, ut Gagates, perinde ac ligna exurantur verianturque, in cineres. Id quod facile testabuntur Flandri, Brabantæ, & alii plures Aquilonares populi, qui lignorum penuria, hisce lapidibus suos perpetuo sovent ignes. Ideoque, si vera esse consentimus quæ narrat Vitruvius de Castello illo circa Alpes trabibus Laricinis extructo, quod scilicet jussu Caesaris admotis incensis virgarum fasciculis ac sacibus, Laricea illa trabes admotum respuerint ignem, dicamus id evenisse non quod Larici materia non comburatur, sed quod ventorum, aeris, nivium, pluvie & algoris injuria, quibus Alpina regio illa quocumque fere tempore afficitur, durior ac lapidifera facta, non ita facile accendi potuerit, præsertim quod omnis arborum materia, quæ solidior sit, non illico primo statim occursum facile accendatur. Etenim Larix soliditate ac duritie præ cæteris præstat quæ ubi æreus illi affectibus lapidosam quandam contraxerit naturam & ejus resina contabuerit, mirum sane non est si non ita facile accendatur. Ad id autem, quod si Larix antiquorum nostra fuisset Larix cum Agaricum proferat non prætermisisset Plinius maximus rerum naturalium indagator, quin de eo aliquam fecisset mentionem, nil aliud respondendum succurrit, quam quod mihi nihil mirum sit id prætermisisset illum, cum certo sciam alia longe majora notioraque ab eo esse prætermisisset. Sed mirari potius debeo quod in libro decimo sexto, cap. octavo, fuerit fabulatus, Galliarum glandiferas maxime arbores agaricum ferre, quod tamen, ut falsissimum esse scimus, ita à nemine antea scriptum esse non ignoramus, ut in commentariis nostris in Dioscoridem de Larice agentes fusi diximus. Nec velim credas, huic Pliniana lectioni subesse mendam, quod scilicet ibi coniferas, non glandiferas arbores legendum sit, ut impostor ille omnium impudentissimus ad Rosarium Polonum scribens fabulatur, & hunc Plinii locum se primum restituisse gloriatur. Siquidem ibi

Plinii locum
explicatus.

Plinius sepe
πικρὸν ex
Theophras-
to Laricem
male vertit
Theodorus
notatur
pluribus
erratis.

Plinii erro-
res in Larice
probandur.

Pinorum syl-
væ in Bohe-
mia fre-
quentissime.

Pinus flo-
ret.
Plinii error
notatur.

Laricem at-
tere contra
Plinium &
Vitruvium.

Lapidibus
ignorum
licet ad
ignem qui
accenditur.
Vitruvii
testimoniū
impugna-
tur.

Plinii in
Agarico
erratum.

Galladinus

dem ibi Plinius in universa illius capituli oratione de aliare non scribit, quàm de his, quæ glandiferis arboribus provē-
niant. Quo fit ut, quum veterator ille locum hunc Plinius haud emendarit, non Plinium castigasse sed ipsum castigatione
indigere jam cognoscere. Caterum si præter hæc reliquas Laricis notas expendamus, nihil sanè erit quod impediât,
quo minus Larix nostra non sit legitima. Siquidem si corticem intueamur, est quidem in Piceæ cortice crassior, ut Plinius
inquit. Si materia præstantiam, solidam eam, firmam, robustam, perpetuamq; conspiciemus, & adunam & na-
vium fabricis aptissimam, cum non solum in sicco, sed in humore (ut Plinius inquit) præ cæteris valeat. Si ligni colo-
rem inspicimus, quinetiam si odorem experiamur, rubescere sanè nostratæ Laricem, ac acri esse odore unâ cum Plinio
satebimur. Si mansu ejus quoq; saporem degustemus, amarâ illam cum Vitruvio dicemus. Ad hæc si decortica-
tam in flumen, vel lacum projiciemus, non fluitare Laricem nostram, sed illic eandem fundum petere intuebimur.
Quæ omnia certissimum præbent judicium, nihil ab antiquorum Larice differre nostratæ. His accedit arboris vasta
proceritas, natale solum, & ipsa tripartita germinatio. Etenim nostra Larix faciliè cæteras coniferas arbores longitu-
dine superat. Nascitur in montibus, & universa Rætia regione copiosissima habetur. Unde ad restituendum Nauma-
chiarum pontem, Tyberius Cæsar (ut ipse testatur Plinius) ingentes Lariceas trabes advehi curavit. Quinetiam obser-
vatum esse scimus, ter in anno nostram Laricem germinare fundere. Præter id manifestum est argumentum Laricem nostram
esse genuinam, eâ, quâ fundit Resina, falsò Terebintina Myropolis appellatâ. Siquidem hæc substantia consistentia,
quinetiam colore, odore, saporeq; nihil penitus distare videtur à Lariceâ Resina, de qua ipse meminit Plinius lib. de-
cimo sexto, cap. decimo, & lib. vigesimo quarto, cap. sexagesimo. Etenim è Larice Resinam erumpere aut melleo colore
atq; lentore, odore virojo, nunquam durecentem, id quod ante ipsum dixerat Vitruvius. Siquidem in Laricis Resinam
liquidam esse scribit, mellis Attici colore & Phibiscu utilem. Quæ quidem nota in nostra Lariceâ adeo clara appa-
rent, ut Thyresia cæcior dici possit, & Marpesia caute stupidiior, qui hanc non noverit. Resinam esse Larignam, de qua
meminere Vitruvius & Plinius. Caterum si cupiam fortasse tot rationibus, tot argumentis, tot præclarissimorum au-
torum testimonio satis actum non esse, consulat etiam Galenum & ejus naturæ libros perlegat. Ibi enim lib. I. cap.
decimo quinto, & lib. II. cap. I. & II. quinetiam lib. IV. cap. 14. pluribus sanè modis atq; testimoniis comprobatum esse
reperiet, Resinam Lariceam nostram, nihil prorsus à genuina distare sed ipsam eandem esse de qua idem scribit Ga-
lenus, cujus etiam ævo Terebintina loco usurpatur Larigna, ubi illa non esset ad manus. Quamobrem mirum nobis
non sit, si post hæc, ubi superioribus annis Terebintina resina defecerat, ubiq; penè ejus loco Larigna invaluerit usus.
Sed hæc ita solide aperteq; comprobatur esse arbitror, nostram & antiquorum Laricem unam & eandem esse plantam,
ut nihil amplius hæc in re non solum tibi fuerit ulterius ambigendum, sed nec aliis quibsdam, nisi fortasse pertinaci-
bus ac contentiosis, quibus cum nullum mihi intercedit negotium. Ex quorum agmine, qui tam temerè asseverant La-
ricem nostram magnam illam esse Cedrum, quàm Plinius Cedrelaten appellat, cujusq; in sacris literis apud Hebræos
tam frequens, honorificaq; sit mentio, deinceps ab omnibus deridebuntur, ubi hanc nostram epistolam legerint. Sed ni-
hil est, quod magis homines etiam non indoctos in delirium ducat, quàm ipsa pestilens ambitio, quæ plurimum in du-
cuntur, quæ ut præ cæteris scire, ac sapere videantur, nil aliud die noctuq; moluntur, quàm ut novi inauditiq; aliquid
vel dicant, vel scribant. Quod ut consequantur, fucatis sophismatibus suas adeò concinnant sententias, ac poliunt, ut
studiosa juventus, cui hæc non ita facile innotuit impostura, hos perditos nebulones præ cæteris evehat ac colat. Sed ubi
in eorum veniunt judicium, qui rem ipsam ubiq; exploratam habent, facile spongia veritatis detergitur impostura.
At quis tam fuerit mente alienus, qui credat Laricem nostram Hebræorum esse Cedrum, cum Plinius de ea peculiarem
à Larice fecerit historiam, & quod illa Abieti non sit assimila, Cedrelaten appellaverit? Quam qui in monte Libano
viderunt, ut Bellonius, & qui Hierosolymam SALVATORIS nostri tumulum peregre proficiscuntur, non Larici
similem pingunt, sed Abieti: Unde rectè illi nomen à Græcis desumptum Κιδικάρι Plinio inditum est. adde etiam
quod huic folia perpetuò vireant. Talis itaq; est pestilens quorundam doctrina, quàm cum tractu temporis veris, ac
solidis argumentis expugnatam dirutam, collapsamq; cernunt, nec ulli possint se tueri præsidii, illic ferarum more
in furorem aguntur, more canum rabidorum latrantes & spumanti ore oberrantes. Quinetiam vipereo quodam ve-
neno persusi tantum convitiis, criminationibus, maledictis, & omne genus seditatibus confidunt. Quo postea fit, ut
dum alios laesuros se putant, se ipsos interimant & non solum ab inimicis, sed etiam ab amicis perpetuo habeantur op-
probrio. Ego verò cum veritati propalanda sustinendaq; semper fuerim addictus, nihil mihi magni semper fuit in
votis, quàm Rempub. ac posteritatem juvare, horum perditorum hominum calumnias, criminationes, convitiis, male-
dictis, pestilentibusq; eruptionibus, potius equo ac forti animo ferre decrevi, quàm à meo instituto desistere. Sed ne agre
feras obsecro, mi amantissime Aldrovande, quod tecum de his colloquar. Quandoquidem cum haud melateat, te vi-
rum esse integerrimum, candidum, pium, & doctum, volui hæc ad te scribere præter ea, quæ de Larice differui, ut ubi
in hocce incideris Sophistas & contentiosos Sycophantas, meum sequaris consilium. Cum probu, candiduq; viru longè
consultius sit, malorum omne genus expediri, quàm ne tantillum quidem à veritate deflectere: quàm qui opprimere
student, si sanè digni sunt, ut è medio tollantur. Interim velim, ut tibi persuadeas, te tantum tibi de me posse polliceri,
quantum cognoveris à me posse præstari. Vale.

Larignam
resinam
pro Tere-
bintina
usurpave-
runt etiam
antiqui.

Laricem
non esse
Cedrum
contra Gui-
landinum.

HIERONIMUS DONZELLINUS MEDICUS

ac Philosoph. Petro Andreæ Matthiolo Sereniss. Principis

Ferdinandi, Archiducis Austriæ Medico.

S. P. D.

Consolatur Matthiolum adversus invidos & blaterones.



Um omnium artium is usus sit ac finis, ut mortalium salutis & commodo serviant, ac famulentur, earum
tamen nulla scopum hunc propius attingit, quàm Medicina, quæ reliquarum veluti princeps & archite-
ctonica, illi utitur tanquam administris, ac earum actiones ita temperat ac moderatur, ut quæ alioquin
noxia & perniciofa erant futura, ejus beneficio & commoda fiant & salutare. Sic itaq; ad Medi-
cinam affecta sunt artes inferiores, ut earum ipsa veluti regina sit constituenda. At quæ nobiliores sunt & ra-
tionem

tera singulorum vires, ac facultates docet, altera vero historiam exponit, tu utraq; enarras, ut nihil pratermissum videatur. Praclarum sane huius aedificii abste jactum est fundamentum, cum Dioscoridem ipsum explicandum suscepisti, ex cuius unius vera intelligentia hac demum Medicina pars pristinum, ac legitimum candorem recuperare potest. Nec vero ipsum tantum auctorem explanas, obscura retegis, abdita patefacis, ac legitimum sensum ejus verbis restituis, sed quicquid etiam à posterioribus Graecis, Arabibus & Latinis est inventum, in tuum illum veluti thesaurum ita reponis, ut quacumq; ullibi extant ea de re lectu digna, illic tanquam in opere absolutissimo suis in locis apte collocata reperiantur. Si quid praeterea, aut ab antiquis, aut à recentioribus à recta ratione est aberratum, erroris fontem aperis, & optimis argumentis ab eorum sententia discedendum suades, scilicet ne rudibus, ac imperitis gravium alioqui & doctorum virorum auctoritas imponat. Quoniam autem sunt plurima medicamenta tam simplicia, quam composita, non ita pridem inventa, quorum usus multis adhuc est ignotus, complura etiam arcana, quae paucorum admodum manibus contrectantur: Tu invidorum odia nihil veritus, publica omnium saluti consulens ex reconditis locis hac in lucem profers, eorum vero energiam & rectam utendi rationem doces, qua certe in re & liberalis & candidi animi egregium in primis specimen abste editum cum summa gratiarum actione cuncti agnoscunt & consentunt. Nemini igitur mirum videri debet, si universis mortalium ordinibus & conditionibus tam gratus acceptusq; fuit tuis hic labor, ut non tantum Medici, Clinici, Chirurghi, Pharmacopœi, sed omnes etiam alii, qui ab honesto studio minime abhorrent, tuum Dioscoridem tum voluptatis, tum utilitatis causa expetant, legant, ac manibus quotidie terant. Memini certe, cum optimus vir ac diligentissimus typographus Vincentius Valgrivus Venetiis mihi narraret à prima illa editione supra triginta duo millia exemplarium hactenus fuisse divendita & distracta, avidissime tamen à quam plurimis etiamnum flagitari, quasi vero nunc primum recens in lucem emittatur, ut facile appareat, nostra hac atate librum nullum magis gratum, aut libentius atq; alacrius acceptum in publicum produisse. Ne tamen tantus thesaurus solis Italiae esset communis, ex Italica in qua primo fuit scite scriptus, lingua, nullis laboribus aut vigiliis parcens, Latinum reddidisti, tuam ita & idcirco declarans, & bonum, quo communius eo perfectius atq; praestantius esse, minime ignorans. Tandem ne quid in absolutissimo opere desiderari possit, rerum fere omnium, quas Dioscorides tractat, vivas imagines adjecisti, quarum spectaculo non tantum erudiri, sed delectari etiam homines queant. Id autem ut exalte perficeres, dici vix potest, quot labores, aestus, frigora, caeli tempestates, peregrinationes longinquas pertulisti, quot inaccessos montes ascendisti, quot valles, sylvas nemora peragrasti: quot immanium ferarum truculentia, te, tuamq; vitam exposuisti, scilicet, ne idem tibi contingeret, quod Galenus in iis reprehendit, qui rerum atq; herbarum, quas ne per somnium quidem viderunt, figuras describere aggrediuntur, quos nimirum ridens praecombus similes facit, qui fugitivi mancipii notas ab aliis traditas publicant, quod ipsi non modo non viderint unquam ante, imo si coram forte asistat, ne agnoscant quidem. Quandoquidem vero in opere eo, non solum modo tot tantaq; molestia & tam gravia incommoda, uti diximus, erant tibi sustinenda, sed in elaborando eliminandoq; potissimum, & ut rite ederetur, curando, diversissimorum artificum opera diligentiaq; in primis necessaria foret, divinam hic providentiam, mehercle, satis admirari non possum, qua quidem, ne honestissimis studiis & optimis conatibus tuis ullum omnino objiceretur impedimentum, in tota Europa Splendidissima ac Illustrissima Austriaca familia clientela oportune te insinuavit, cujus singulari liberalitate adjutus bene cepto aedificio summum imponere colophonem posses. Maximam profecto laetitia causam superioribus diebus tua mihi litera suppeditavit, quibus pariter invictissimi Caesaris Ferdinandi & simul Illustr. ac Generosissimi ejusdem filii Mæcenatis tui, Ferdinandi junioris, promptam adeo atq; alacrem in te voluntatem significasti, quorum splendidissimo munere tuus jam longe magis ac magis Dioscorides sit illustrandus. Post tot corporis labores & tam graves ac assiduas animi curas, quid quæso superest quam legitimus tua virtutis fructus, gloria immortalis? bonorum scilicet atq; eruditorum virorum de consummata tua doctrina ac virtute concepta opinio, & publicus quidam omnium hominum plausus? Nullus quippe nunc est in omni Europa angulus, nullus in luce hominum vivens, cui non modo notum sit Matthioli nomen, sed etiam praclarum imprimis. Tu vivens & valens diuturna jam tot annorum fueris laude & gloria, id quod paucissimis sane conceditur, quo magis tibi etiam vel eo nomine est gratulandum. Dignus ante omnes profecto mihi videre, cui publico non solum totius Italiae, cujus peculiare decus est & ornamentum, verum etiam totius Europae consensu aurea statua erigatur, ingenti nimirum tui & praestantia immortale monumentum. Nam si Demostheni de unica patria bene merito id honoris grati Athenienses detulerunt, quo magis illud tibi de immenso orbe optime merito debetur? Si qui igitur sunt in hominum cætu, ut multos esse verisimile est, (deteriorum enim rerum uberior proventus semper est,) qui de te secus, quam par est, aut sentiant, aut loquantur, eos ego quos terra sustineat, indignos puto hominum pestes ac reipub. detrimenta. Eorum calumniis ac petulantia jam dudum te vexari scio, id quod mihi accidit certe molestissimum. At quoties rem propius intueor, mira tua excellentia haud obscurum sane testimonium ac pulcherrimum veluti trophaum judico. Una & fatalis quodammodo, doctissime Matthioli à mundi exordio ad hac usq; tempora, bonorum & insignium virorum fors hac fuit. Non ineleganter sapientissimus Aristoteles dixit, τὰ βελτρία ἀγαθὰ καὶ καὶ ἀειδιότατα. Nunquam enim magis conspicua est insipientium ac improborum cecitas, vitium, atq; inscitia, quam ubi prudentium & proborum opposita virtute ac splendore deregitur ac illustratur. Qui in deteriore sunt statu, omnes sui similes esse vellent. Noctua soli lumen ferre non potest. Hominum scelestorum colluvies ac caca indoctorum turba illos omnes delirare credit, qui non in eadem criminum sentina, malorum lerna, luto ac cæno secum voluntantur. Hinc odium, invidia, calumnia, detractatio, reliquaq; animi impotentia, qua perditorum petulantia boni atq; honesti viri pulsari ac lacepseri solent. Sed quia tanta rei indignitate non parum te commoveri est æquum, rationes quibus tuum animum sustentens & consolens, alius illic repetere, peropportunum duxi. Antiquissima illa est consolatio & natura humana maxime consentanea.

Similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres.

Pythagoras adeo sapientia dicitur excelluisse, ut Philosophorum omnium veluti parens merito habitus fuerit, idem tamen propter lividos ac turbulentos homines extorris semper in aliena vixit regione. Nam ex Samo Crotonem propter Polycratem, Crotonem ad Locrenses propter Gylonem aufugit. Ex Locrensis, autem non unus duntaxat, sed omnes in eum insurrexerunt, non alia certe ratione, quam quod tanti viri virtutem diutius tolerare nequiverint, ab his ita atq; Tarento exigitur. Tarentini insuper mox, tanquam graviori aliquo onere se levaturi in Megapontium detruserunt, ubi postquam ad quadraginta dies cibo abstinuisset, in Musarum templo interiisse perhibetur. Quid vero optimo illi Socrati acciderit, quid attinet hoc loco commemorare? Melyto, Anyto & Lycone cunctorum plena sunt hominum

Triginta
duo millia
exemplaria
vendita.
Italice pri-
mum scri-
psit Matth.

Lib. de
Simpl. 7.

Contra
Matthioli
ofores.

Lib. Rhet.
III.

Ovid lib.
Metamor-
phos.
Pythago-
ras.
Themist.
Sophista.

Socrates.
Plato in A-
polog. & in
Phædro.

antea

- aures. Et profecto quid sapientibus ac bonis viris ab hominum stultitia sit expectandum, ejus unius exemplo est pate-
 factum. Adhuc Platonis divina prope ac celestis doctrina, quid aliud est, quam docta religio? ut vere olim Augustinus
 Platonis, paucis demptis, fieri Christianos asseveraverit. Is tamen Philosophorum Deus ab imperita hominum turba
 tam indigne susceptus fuit, ut constanti fama celebretur, eum ter in Siciliam paranda pecunia ac victus causa navi-
 gasse. Ceterum quantae perperis sit Aristoteles, pleni sunt Græcorum libri. Is enim et si in humana sapientia ad mira-
 culum usque, erat eruditus, innumeram tamen Sophistarum scholam in se concitavit, qui virulentis etiam editis oratio-
 nibus (qua Themistii tempestate adhuc extabant) illius existimationem impetebant ac lacerabant. Sed qualis illa fuit
 injuria ac ignominia? quando Athenis ab Eurymedonte impietatis in Deum falso accusatus in Colchidem profugere
 est coactus, idque ea de causa se facere affirmavit, ne Athenienses iterum in Philosophiam peccarent. Et quamvis de
 10 Atheniensibus optime fuerat meritis, perpetuo tamen ab eisdem exilio fuit multatus. Notum est, quid semel respon-
 derit, cum a quodam se fuisse convitio affectum audiret, nempe, absentem me, si velit, flagellum etiam cadat. Quo qui-
 dem responso obtrectationibus se fuisse obnoxium, satis declarat. Hi duo postremi in maximorum Principum aulis sunt
 versati, sed quam feliciter, antiquorum docent monumenta, non paucis enim injuriis, ac periculis, hic apud Alexan-
 drum Macedonem, ille vero apud Dionysium Syracusanum est constitutus, a quibus tamen summos honores, ac præ-
 mia obtinere merito debuissent. Post latas Atheniensibus sanctissimas leges, Solon diffugere est compulsus, ac pro infi-
 gni beneficii pie in patriam collati mercede, ab obitu, apud Salaminem ejus cineres ignominiose dispersi sunt, ac disti-
 pati. Quantus fuit in patria potissimum, & universæ Græciæ salute, ac libertate asserenda Demosibenis ardor studi-
 umque? quam infausus contra ejus exitus? Hujusmodi summorum virorum fortuna, locum fecit illi proverbio: Id
 optimo cuique, Athenis accidere solitum est. Cicero literarum, sapientiæ atque eloquentiæ gloriam à Græcis in Latium
 20 transiit, & ob res præclare feliciterque gestas in Consulatu, Pater patriæ appellatus est: non multo post attamen sum-
 ma injuria pulsus, cogitur exulare: restitutus, & Partico bello victor, dignus triumpho judicatus truculentissime tan-
 dem necatur. Utinam vero meliorem fortunam expertus esset bonorum omnium nobis auctor Hippocrates, is, inquam
 Hippocrati-
 tes, quem Patrus in illa sua ad magnum regem Artaxerxem Epistola Θεῶν ὑγιῆς καὶ σωτῆρα τοῦ σώματος καὶ τῆς πόλεως
 vocat, & à Jove genus suum ducere affirmat: cum ille ab Artaxerxe esset vocatus ut pestem in ejus exercitu crui-
 deliter grassantem sua arte curaret: recusavit barbaros Græcorum hostes infestissimos juvare, sibi minime licere re-
 stitutus: Quare illum rex à Cois ad necem expetivit, quorum etiam patrocinio periculum evasit. Quantum vero Roma
 & Medicorum & Philosophorum odium, atque invidiam sustinuerit Galenus, unus ab eo de præcognitione inscriptus li-
 ber demonstrat. Hi cum vera Medicina scientia destituti essent, hujus lumen nequaquam tolerabant, quando ejusdem
 splendore cecutientium tenebra omnium oculis subicerentur. Lucrum enim ambitionem, ac voluptates sectando, adu-
 30 latoriam potius, quam Medicam artem exercebant, quumque Galenus ob præstigia curationesque plurimas cunctis jam
 esset admirabilis, ipsi tamen omnia, tanquam non ex Medica facultate, sed Magia potius quadam ac divinatoria arte
 facta, impudentissime calumniabantur. Verum postquam solida Galeni doctrina, & vitæ integritate, calumniatorum
 inscitia ac improbitas nulli non innotesceret, ipse nihilominus, ubi Quintum Medicum olim Romæ nobilissimum per
 summam injuriam ab illis in exilium actum, & præter eum, egregium alium quendam juvenem in arte illa apprime
 exercitatum, una cum binis famulis à vita sublatum audivit, ab Eudemo Peripatetico admonitus, veneni periculum
 sibi imminere, relicta illico Roma in patriam revertit.
 Jam si quis totam antiquitatem scrutetur curiosus, optimos quoque, ac eruditissimos viros indignissime habitos
 animadvertet. Multa variaque hujusmodi ingratitude exempla suppeditant Plutarchi Paralleli, divinum illud ac
 præclarum opus in quo tanquam in speculo, verissimum esse id, quod dico, perspicue apparet. Ceterum ne nostrum hoc
 40 seculum honestis & egregiis viris æquius aut magis amicis, quam atas superior existimetur, exempla aliquot proferam
 ex illis, qui nostra memoria vixerunt: ut non minorem nunc, quam unquam antea, in eximia inprimis, ingentia & in-
 genua studia, ingratitude atque odia exerceri, omnes clare intelligant.
 CUM nostra tempestate Nicolaus Lonicenus ab ineunte ætate optimis literis deditus ingentes opes capax, & Leonicens,
 maxime constantis ingenii ad illustrandam Medicinam contulisset, & in Arabum censura ac Sophistarum impor-
 tuna garrulitate cuncta sedantium, erroribus confutandis strenuam operam collocaret: tot imperitorum hominum
 latratibus obnoxius fuit, ut ne eorum morsus sentiret, perpetuo cum illis fuerit pugnandum, quemadmodum in præ-
 claris ab eo editis commentariis ac præsertim Antisophista apparet.
 JOANNES etiam Manardus illi æqualis & in eodem quoque, profitendi munere collega, Barbarorum & à vera
 Medicina norma delirantium turbam, minime habuit æquiores. Is enim stirpibus, ac præsertim Indici, in Medicina
 50 usum adoptatis, obsoleto antiquo nomine, & incerta virium potestate perobscuris, cum eruditam claritatem afferre
 conaretur, plurimos habuit, qui sibi adversarentur. Et quanquam in eruditissimi viri judicio docti acquiescerent, &
 oraculi loco apud illos ejus sententia haberetur, cum tamen apologiis perpetuo ei fuerit dimicanandum, acerrimos illi
 hostes non defuisse est manifestum.
 AT vero Matthæus Curtius, cum Medicina præcepta, ac difficiliore artium locos, solertissima perspicacis animi vi
 publice interpretaretur, senioribus sua ætatis Medicis somnare videbatur. Arabum enim, ac Sophistarum glandibus
 assueti, suaviorem Hippocratis & Galeni cibum rudes, ac stupidi aspernabantur. Gravia igitur certamina sustinere est
 coactus. Et quamvis scribendo parum esset felix, de phlebotomia tamen vite instituenda, commentarium edere, ad in-
 gentem eorum, qui sibi repugnabant Medicorum stuporem excitandum, fuerit cum summa necessitate compulsus.
 JOANNIS quoque, Baptiste Montani divina illa, quam in docendo sequebatur, methodus, quam profusis mul-
 60 torum cachinnis initio fuerit excepta, illi norunt, qui ejus tum fuerunt auditores. Sed quia cum summa eruditione in-
 victum illi animi robur esset, brevi temporis spatio malevolorum invidiam superavit. Doctrinæ tamen suæ adversarios
 multos & oppugnatores eum habuisse, restis ego sum locupletissimus, qui non sine ejus consilio, ac voluntate scriptis
 Apologiis veritatem ipsius dogmatum non semel propugnavi.
 SED quid Andreas Vesalius? qui Anatomicen jam diu antea collapsam, & pene deperditam, cum viva voce, ac
 manu doctissima, tum suo illo de humani corporis fabrica immortalis opere, & restituit & illustravit, cum initio in
 Italia, superioris tempestatibus errores passim ob oculos poneret, & rectam secundi rationem publice profiteretur, prima-
 rios Italia Medicos habuit infensos. Ac passim primo lacepsit, veritatis tamen clypeo munitus, ita sese defendit con-
 tra omnia adversariorum tela, donec illi ipsi re æquius perspecta, postmodum redderentur & mitiores, & quietiores, &
 qui ante ipsum valide ubique, oppugnaverant, palmam tandem in ea facultate ultro, ac lubenti animo illi concesserint.
 Plures

Plures interim in Italia aliisq; regionibus vivunt, qui Vesalio adhuc obfistunt, scilicet ne Herculi desint monstra, quibus conficiendus magus magus, nomen ejus illustretur.

At cur ego in recensendis exemplis potissimum longior sim, quandoquidem una & eadem perpetuaq; bonarum artium calamitas, semper fuisse comperiat? Unde etiam factum credo, ut non modo nostris temporibus, sed semper sincerissimi viri nonnulli reperirentur, qui animorum imbecillitate potius, quam sano judicio adducti, explorata intus & in cute humana pravitate è turba frequentiaq; vulgi, ceu à valida quadam tempestate, & procella, ad solitudinis salutarem portum se receperunt. Quales profecto quanquam promiscua multitudini ignoti, Divi potissimum immortalibus amici, aequalibusq; viris optimis ipsi optimi existimantur. Hi tranquillam vitam agunt, neq; egre permittunt, versutos & pravos homines in populo gloriam admirationemq; aucupari. Ex eorum albo Philosophos excellentissimos, Offic. lib. I. longeq; principes severosq; admodum, & pergraves viros extitisse complurimos, auctor est Cicero.

Tu igitur optime Matthioli, tantum abest, ut tuorum adversariorum impetu atq; invidia debeas commoveri, quin eadem de causa praeipue tibi gratulandū censeo. Te siquidem eximii illi viri similem esse declarant, quos superius nominavi, quorum vestigia tenaciter inhistens, si in eisdem scopulos incidis, minime tibi mirum videtur. Nec vero si faceres mercaturam, pacatum ac tranquillum ad quamcunq; navigationem mare, & secundos ex animi sententia ventos & onustas precioso auro naves tibi semper pollicereris? Nonne undarum jactationem, tempestatum procellam, Scyllam, Charybdimq;, & his omnibus periculosis naufragium, & graviozem Oceani fluctuantis aestibus, pyratarum latronumq; incursum subinde exhorrescas? & interdum etiam de ejiciendis in mare mercibus cogitares? Sed neq; illud à te est expectandum, ut communi sorte exemptus plane hab eas neminem, qui tibi se opponat: neq; id postulare aebes, cum imperari minime possit. Omnem aetatem suos habuisse Zollos, tibi est notissimum. Damnant tua Commentaria nonnulli, è diverso plures sunt, qui eadem summis laudibus ad caelos vehunt. Tu is es, qui & illis respondere & te tuasq; 10 scripta constantissimis argumentis & re ipsa tueri potes. Ut cunq; tamen in eo certamine nullo non tempore defuturi sunt *ἀνταγωνισαί*, sic attamen in hoc te ipsum consolaberis, quod grata posteritas nullis omnino affectuum praedictis

Lib. E. dicitur occupata, de rebus tuis syncerius judicium feret. Hoc certe in statu, quo tu nunc versaris, Israelitis mihi simillimus videris, quos sacra historia refert. post suum ex Babylone in patriam reditum, cum Hierosolymam denuo extruerent pari difficultate laborasse: Siquidem id non vulgare fuit fortitudinis specimen, gladiis accinctos, cementum & lapides comportare, una manu strictum ensen vibrare altera facere opus, trullam versare, atq; ita simul architecturae dare operam, simulq; ad praelium expeditos esse. Et tamen videmus id non obstitisse, quo minus constanter infraclūq; animis pergerent in capro conatu, quoad tandem usq; pertinaci eorum assiduitate, hostium improbitas & rabies frangeretur. Idem profecto de te est expectandum, qui nunc altera manu intercedentem jam diu Medicinae partem restituis, altera vero adversariam hostium vim strenue repellis & fortiter eis repugnas, qui egregium ac salutare toti humano generi, 30

Matthioli adversarium duum generum, hoc tuum studium impediunt ac remorantur. Porro autem, cum ego diligentius rem considero, adversarios tuos in duo genera partitos esse video. Quorum si quidem & docti sunt & eruditi, nulloq; aut leviori aut contentioni studio tecum pugnant: Sed cum idem omnino ipsis, quod tibi, propositum sit & institutum, judicio hercle, non animi acerbitate vel odio abs te dissentiant. Quando autem in omnibus artibus ac disciplinis perpetuum hoc fuisse constat, neq; ea in re quicquam tibi accidit novum, insolens aut inusitatum, a quo animo abs te ferendum iudico. Nihilquidem aliud Galeno interprete divinus Hippocrates voluit, cum iudicium difficile pronuntiavit. Ex qua potissimum difficultate & 40 in Philosophia & in aliis scientiis tot secta prodierunt. Hos ego amico animo in te esse non dubito. Et cum te natura humanum ac facilem noverim, te vicissim erga illos, ut par est, egregie affectum esse, aequè mihi certum est.

Socratem ac Platonem, ubi bene de se meritis praeceptores summo honore Aristoteles colebat, non una tamen in re ab ipsis aperte dissentit, quinimo eorundem amicitiam sibi sacrosanctam esse haberiq; testatur. Veritatem tamen omnib; 40 praeferebam ducit. Priorem hanc inimicorum aciem, salva incolumiq; necessitudine, rationibus solis tibi expugnandam relinquo. Cum altera vero mihi est congregiendum, ejusmodi enim sunt, ut cum illis disceptare certareq; tibi putem indecorum. Utranq; Philosophiam isti ignorant, tam eam, quae in naturae rerum contemplatione versatur, quam quae affectuum impotentiam virtutum mediocritate moderatur, solo nimirum inventis furoris sola animi inconstancia, sola perulantia, sola invidia ob tam felicem rerum tuarum successum, ad te laceffendum permovetur. Talis cum sit eorum conditio, ne apud bonos & eruditos viros, sua auctoritate etiam existimationem ledant aut obscurant, minime tibi est verendum, quippe cum perditissimi sint & Reipubl. labe & macula, quibus obsecro, nisi talpa cecior, est futurus, qui eorum verbis silem adhibendam in animum inducat? Eousq; enim se prodit eorum faecor, ut omnium naribus excipiat: ab eoz; omnes tanquam à Mephiti quadam, ut sentina longe diffugiant. Animos si habent teterrimo veneno delibutos & nigerrimo hoc quo haec me litera exatantur atramento, sediores, ut indignissimi sint, quorum no- 50 mina à te perstringantur, aut quibus candidissima haec papyrus à me inquinetur. Horum itaq; ne tantilla tibi quidem ratio, mea sententia habenda est. Ut tamen aliqua saltem ex parte levium hominacionum insolentia temeraria reatundatur, jam speculum illis paravi, in quo improbitatem suam manifeste ac palam intueantur.

Ego Matthioli Candidissime, ab adolescentia usq; & bonorum praeceptorum monitu & meo etiam peculiari quodam genio, ita sui comparatus, ut antiquos, maxime Graecos scriptores, mihi duxerim persequendos. Verum ubi aliquando natu grandior factus, nostrum hoc seculum non parvum doctorum hominum proventum attulisse animadverti: illos quoq; mihi statui perlegendos, neq; facti me admodum poenituit, quod in eorum numero plures inveni, qui & doctrina & facundia merito cum ipsa antiquitate sint proxime conferendi, hosce ego omnes tua virtuti eruditio- niq; luculentum testimonium dare deprehendi. Et quanquam ego antea idem de te sentiebam, non parum tamen (ut ingenue fatear) eorum me virorum auctoritas permovit. Igitur quod me impulit, nihilominus ponderis apud alios 60 quosvis habiturum ratus, conjunxi doctorem nostro aeo de tua ingenti solertia non obscura testimonia, quae etiam (si id tibi non ingratum fore intellexero) duplici nomine edere in publicum vellem. Cum primum enim in veteratorum manus pervenerint, eaz; viderint ac perlegerint, si quis illis reliquus est pudor, ingenium cito mutabunt. Nam cum insignis sit stultitia argumentum, à sapientibus dissentire, ut meliorem mentem aliquando recipiant, hoc veluti Elleborismo utendum censeo. Deinde cum in magnis laboribus ac diutinis vigiliis jam diu verferis hoc levamento vires tuas sustentandas ac spiritum addendos existimavi. Nam ubi clasicos aut hores videris tam praeclare de te & loqui & iudicare, nonne vitiligatorum & sycophantarum morsus facile contemnes, & alacrius in tam feliciter capto curriculo insistendum gloriam tibi in meta propositam prope contemplatus, minime hesitabis? Nec enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed pra nobis ferendum, Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisq; maxime gloria ducitur,

Cicer. pro
Archia.

ducitur, nullam etenim virtutem mercedem aliam laborum periculisque desiderat, præter unicam hanc laudem & gloriam, qua quidem detracta, quid rogo est, quod in hoc tam exiguo vita curriculo & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vita spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantum se laboribus frangeret, neque tot curis & vigiliis angere, nec toties sanè de vita ipsa dimitteret. Nunc incidit quadam in optima quoque virtute, qua noctes & dies animum gloria simul concutit atque admonet, non cum vita tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. Scio equidem generosos animos, ut amque ac genuinam virtutem, nihil peregrinum aut extrinsecum morari, sed contentam esse seipsa, ac proinde ætatem medicam gloriam imprimis ac publicam humani generis salutem, hoc in certamine tibi fuisse propositam. Quia tamen idem tibi, quod Chremeti illi Terentiano accidere absurdum non est, scilicet, ut humani nihil à te alienum putes, hoc tanquam incitamento non potui te non adhortari, ne ab hac statione discedas, in qua magno mortalium commodo divinum consilium ac providentia jam dudum te collocavit. Vale.

In Hæu-
tostumo-
tumenno.

Hic habes candidissime Lector virorum nostra ætate præcellentium Elogia de eximia doctrina & virtute, Clarissimi Medici Petri Andreæ Matthioli Senensis.

Nicolaus Muttonus Mediolanensis, Medicus.

Sunt inter recentiores Victor Trincavellius, Aloysius Mundella, Lucas Ghinus, Nicolaus à S. Michaeli, Augustinus Gadaldinus, Franciscus Camutius, alij, innumeri, quos, ne radium pariat oratio, lubens ac volens prætereo. Non omittendus tamen singulari eruditionis & perfectæ diligentia, Petrus Andreas Matthiolus, qui primus (quod sciam) præstantissimum ac multis jam seculis comprobatum Medicæ materiæ scriptorem Dioscoridem in Italianam linguam quam elegantissime vertit. Quo feliciter peracto labore commentaria adiecit, in quibus Medicæ materiæ scientiam, cum ad usque hæc tempora in nocte densissima deitisset, tanquam interemptam nunc primum è caliginosis latebris in lucem revocavit, & eam veluti alio quodam partu genuit, & per omnia membra aluit, eduxit, vestivit, & omni ornatu insignem reddidit. Hæc ille in præfatione sui Serapionis.

Præterea in suis annotationibus in thesauros Pharmacopæorum, Matthioli auctoritate fretus, quamplurimos annotavit errores. Quin & in suis in Serapionem plantarum nomenclaturis italicis à Matthiolo omnia accepta refert. In Serap. & annotat. in thesauros.

Ulbertus Barlandus, Medicus Gallus.

Porro hoc in negotio non ex temporum dicasterio egi, verum in exprimendis simplicium facultatibus & formæ Galenum sequutus sum. In privata verò simplicium censura, eximium illum & eruditione & perfectâ diligentia Matthiolum reddidi præcipue, quum in Dioscoride censendo hic & operam navari singularem atque adeo Colophonem addiderit. Hæc in Epistola nuncupatoria super suas annotationes in Dioscoridem:

Item. Quod si omnium longe in tractando Dioscoride acutissimo Matth. Senensi credimus, verum Acorum id esse probamus, quod officinis calamum odoratum nominatur. Cap. de Acoro. Item: Nec hodie Meon provenire in Italia præcellentiss. Matib. ait: Cap. de Meo: Non modo his locis citat Matth. sed aliis sane innumeri.

Bernhardus Dissenius Chronenburgius, Medicus Colonienensis in libro suo de compositione medicamentorum.

Opinionum controversiam luculenter Andreas Matthiolus Medicus in Comment. suis in Dioscoridem sustulit, dum Calamum usque quotidianum odoratum, verissimum Acorum ostendit, cuius doctrina utpote germana refragari nequaquam debet. Cap. de Acoro in antid. hæmagogo. Item: Solus Andreas Matthiolus, solide de Indica Nardo pronuntiat. Cap. de Nardo in Aurea Alexandrina. Item. Qui volit doctissimi Ruelli Commentaria, & hæc atque in plantarum scientia omnium principis Matthioli opus in Dioscoridem referri. In diafatio.

Item, Caterum Matthiolus excellenti constantique ingenio, quam reliqui omnes auctores Matricariam vocarunt, atque alteram Diosc. Artemisiam pronuntiarant, Parthenium decernit. In Symplo de Arthemisia.

Item: Manardus veram Acaciam primus putat in Italia deesse, cui summi iudicii & exquisitissimæ eruditionis vir, Matthiolus Senensis subscribit. Cap. de Acacia. Item: Huic sententiæ meæ ad stipulatorem habeo Clarissimum Medicum, Andream Matthiolum, cuius verba quoniam imposturam simul omnem, ac rei veritatem indicant, hic adscribere operæ precium omnino duxi. In Theriaca Andromachi. Cap. de terra Lemnia.

ITEM. In summa, non quævis alia est recipienda. Pingit ejus exquisitam imaginem in Dioscoride suo Matthiolus Senensis, vir ad unguem in arte absolutus. In Symplo de Eupatorio. Cap. de Bedeguar.

ITEM. Quam quidem fidelem Matthiolus summus Medicus, & in Herbarum omnimoda cognitione nemini secundus, comprobatur. In Benedicte Nicolai Cap. de Turbit.

ITEM. Amathus Lusitanus frequenter odiosa confidentia virus invidentiæ suæ in Clarissimum modestissimumque virum Matib. Senensem eructat, dum passim nimis intempestive hujus doctrinam super Comm. in Diosc. eductis, egurgit & infectatur, quibus probatur a fidei hominibus, nil aliud, quam malignum animum & perniciosam invidiam ostendit. Ipse interim infinitus modus dignus, qui ob magnam stirpem imperitiam atque improbam, in se translatam operam alienam (quod crimen est longe omnium turpissimum) veluti è sublimi doctus veniat deridendus. Ecquid enim enarrationibus suis inservit, quod non iustissimo titulo uni Matthiolo acceptum referre debet? à quo amulandi studio dissentit, in graves manifestosque errores imprudens homo prolabitur, cuiusmodi exemplum tum in hac planta, tum in Acanthio, Coronopa, Helichryso, ac plerisque, aliis videtur. Multo satius fuerat, quo doctorem se aestimaret, eo quoque modestiorem præstare, quod ingenuum Philosophum decet. In oleo Hypericonis. Cap. de Carduo Benedicto.

ITEM. Primus ejus auctor est. Petrus Andreas Matthiolus Senensis, celeberrimæ famæ Medicus libro suo de curatione morbi Gallici. In oleo ligni Guajaci.

ITEM. Quamquam mihi nemo hæc extitisse videatur Judex equior, quam Andreas Matib. qui l. 4. Diosc. 37. ejus figuram ostendens Eupatorium hoc vulgare Avicenna esse indubitanter pronuntiavit. In Syr. de Eupat.

ITEM. Postremo absolutissimam censuram suam edidit Matthiolus, indubitatis ipsius verbis notis, quas impugnare contentiosi prorsus est ingenui. Etsi non negaverim in utraque opinionem plantas rationibus quibusdam trahi posse. Sed tamen revera Phyllus est decernenda quod ille idem Matthiolus oculis subiectæ Hemionitidis genuina imagine demonstravit. Itaque ambigere & contendere amplius desinant, quibus veritas cordi est. In Oxymelite splenico Pauli. Capite de Scolop.

ITEM

ITEM Nescio qua ratione adeo acer oppugnator Mesues sit Manardus vir aliqui singulari humanitate, modestia, & eximia animi sinceritate & moderatione. Sed totam hanc diffensionem exquisita doctrina sustulit, perpetua memoria dignissimus Matthiolus in Commentariis suis super Dioscoridem, quos lectitantes Medici, nam Seplasiarius sufficit hac aperuisse. In Diafene Nicolai Cap. de Sena.

ITEM Sed Avicenna defensionem singulari ingenii modestia & eximia pariter aequitate Matth. in Commentariis suis in Diosc. suscepit lib. 4. c. 27. quo etiam loco quatuor Aconiti formas conspiciendas proponit, homo in simpli cognitione ac medicina peritissimus. In Trochisco è vesicariis diaphyllalido. Cap. de Cicuta.

ITEM Cynoglossum prorsus juxta Dioscoridis scripturam apud Clarissimum Medicum, Andream Matthiolum, in doctissimis Commentariis suis, in eundem studiosissime elaboratis, conspiciere quis poterit. In Trochisco de terra Sigillata: Capite de Bolo Armeno.

ITEM Solus Matthiolus in Clarissimis nuper editis Commentariis suis, ad vivum affabre Symphytum petraeum expresse, è quibus petant plantaria rei studiosi. In cerato ex pelle arietina. Cap. de Consolidis.

ITEM Hanc opinionem simul & Fuchsum impugnat Matthiolus in doctissimis Commentariis suis supra Dioscoridem conscriptis, & omnino legitimum hominum isthic affabre pictum ostendit. In Oleo Salviae.

Conradus Geinerus Medicus Tigurinus.

PETRI Andrea Matthioli Medici Senensis preclarissimi extat liber unus de morbi Gallici curandi ratione. Insunt huic operi multa rara & mirabilia experimenta auctoris. Edidit & Commentarios longe doctissimos in libros sex Dioscoridis de Medica materia, qui saepius Italice editi, postremo ab ipso auctore in Latinam linguam translati sunt. Adjecta insuper sunt huic operi innumera plantarum, & animalium imagines ad vivum expressae. Ejusdem extat Apologia, qua se ab erroribus & calumniis vindicat, quibus notatur ab Amatho Lusitano, Medico. Extant, & objectiones quibus ipsius Amathi errata patefacit. In Bibliotheca & Epitomis.

PETRUS Andreas Matthiolus Senensis Dioscoridem nuper in sermonem Italicum convertit, & Commentarios eadem lingua copiosos & eruditos adjecit, ubi diligentissime quaecumque, de iisdem medicamentis Galenus scripserat, suo quaque loco recenset. Plerumque, etiam Plinii & aliorum scriptis nititur, & recentiora medicamenta à Dioscoride omissa ex recentioribus passim commode adjecit, & plurima sua adversus varios morbos & eximia quadam experimenta describit. Audio nunc idem opus Venetiis nunc primum Latine edendum. In praefationibus editis in Hieronymi Trapi Herbarium. Quin etiam infinitis fere locis Matthiolum citat, & ejus utitur laboribus libro de historia anim.

ITEM Petrus Andreas Matthiolus Senensis, in Commentariis Italicis, super Delphino Dioscoridis Senam diligentissime describit, & Ruellii errores refellit. Libro de historia quadrupedum, de Bove.

ITEM Petrus Andreas Matthiolus, recte annotavit Theophrastum in Orobanche alicubi per imperitiam esse delusum. Ibidem.

ITEM Nam Ruellii sententiam de frutice illo amplexicaule, quem sigillum Divae Mariae aliqui vocant, & ipse alibi Malacocissum, alibi Cyclaminum alterum facit, Matthiolus jam optime reprehendit. Cui nos libenter subscribimus. Ibidem.

ITEM Ego Matthioli sententiam magis acceperim, qui Helichryson apud Thuscas abunde nasci scribit. In Tauro.

ITEM Matthiolus Ruellium reprehendit, quod hanc Cynocrambem Atriplicem sylvestrem esse putaverit, cum Atriplex ista libro secundo, post sativam statim à Dioscoride commemorata sit. Qua quidem in re cum Matthiolo sentio. In Cane. Quin etiam innumeris fere locis in eodem volumine, in libro de quadrupedibus oviparis, & de volatilibus Matthiolum citat, & ejus utitur inventis ac laboribus.

Andreas Lacuna Secubiensis, Hispanus

PORRO veram Dioscoridu Baccharim ignotam hactenus, à nobis autem haud ita pridem in Romanis hisce agris repertam, nuper misimus ad Petrum Andream Matthiolum, virum & amicum, & medicamentorum simplicium, hac nostra aetate indagatorem acerrimum. In annotationibus super Dioscoridem.

ITEM Servieron me no poco en este trabajo tam importante, los Commentarios del Dottor Andreas Matthiolo Senes Medico excelente de nuestros tiempos: el qual con increíble destreza traslado el mesmo Dioscorides en lengua Toscana, y le dio grandissima claridad con las singulares exposiciones que sobre el hizo de las quales nos aprovechamos el algunos lugares de nuestras annotations. Id est. Non parum auxilii nobis attulerunt, in hoc nostro tanti ponderis negotio Commentaria. Doctoris Andrea Matthioli Senensis, excellentis hujusce tempestatis Medici, qui non solum quaedam incredibili dexteritate in Etruscam linguam eundem vertit Dioscoridem, sed maximum addidit illi splendorem suis in eum editis Commentariis, quorum auxilio multum profecimus nonnullis in locis harum nostrarum annotationum. In Epistola nuncupatoria ad Sereniss. Philippum Angliae, &c. Regem super suo Dioscoride Hispanice edito.

ITEM. Demas dello suso dicho con los appellidos de aquellas plantas que suolen hallarse en la Europa dimos juntamente sus figuras y proprias formas paraq, porellas pudiesse conocer cada uno las bivas quando las tuviesse delante. Para lo qual heximos diligentemente esculpir todas aquellas figuras de nuestro amico el Dottor Andreas Matthiolo, qua fueron bene entendidas, y sacadas al natural dellas verdaderas por quanto non podian mejorarse. Id est. Damus praeter ea una cum nominibus earum stirpium, qua inveniri solent in Europa etiam imagines, ac proprias formas: ut ex appictis his ante oculos objectis posset unusquisque ipsas vivas cognoscere. Quapropter diligenter excudi curavimus imagines illas omnes, quas edidit Andreas Matthiolus amicus noster. Namque hac ex vivis & veris plantis appicta sunt tanta rei intelligentia, ut elegantiores fieri nequiverint. In epistola ad lectorem ejusdem libri Dioscoridis in calce.

ITEM. Andreas Matthiolo Senes, Varon muy exercitado en la Universal materia medicina ly principalmente in aquella de los venenos describe dos remedios excellentissimos contra todo genere de ponconna, conviene à saber un Electuario y un oleo, los quales, por haver yo dellos visto aemirables pruevas, he quirido que se anadiesen à estas nuestras annotations. Id est. Andreas Matthiolus in universali Medica materia, vir admodum exercitatus, & in ea praecipue, qua ad venena spectat, duo describit remedia adversus omne genus venena, nempe electuarium & oleum quoddam. Quorum usu cum viderim ego admirabiles successus, volui hac omnia in has nostras transferre annotationes. In praefatione Sexti lib. ejusdem Dioscoridis.

Hiero-

Hieronymus Ruscellus Viterbientis, in sua Epistola nuncupatoria super Bocatium Italicum ita de Matthiolo habet.

Habbiamo noi per opera del Matthiolo fatti nostri (cioe Italiani) Tolomeo & Diosc. non solo mi glori, che i Latini non gli hebbero, ma diro anchora che Greci i stessi, Id est, Fecimus tam nostros (id est, Italicos) Dioscoridem & Ptolomæum opera & diligentia Matthioli: Et non solum meliores, quam habuerint Latini, sed dicam quam ipsimet Græci.

Antonius Vincentius Typographus Lugdunensis.

AD HÆC eundem Dioscoridem, squalore, navis ac maculis, quibus hætenus scatuit innumeris, beneficio Andrea Matthioli, hominis in hoc genere versatissimi & Doctorum approbatione Medici doctissimi, elatus atq; expurgatus, probe curatum, nitidum & tersum à nobis emitti: castigationes præterea quam plurimorum locorum ejusdem Matthioli solertia & ingenio elucubratis ad calcem capitum adjunximus.

In Epistola ad Lectorem in Dioscoridem Lugduni impressum.

Joannes Baccanellus Medicus Regienfis.

Libro de consensu Medicorum, ubi in calce de simplicibus medicamentis disseruit, honorifice Matthiolum saepe citat.

Robertus Stephanus Matthiolum etiam quandoq; citat authorem: A quo etiam Cinna- baris historiam prompsit.

Battholomæus à Maranta Venusinus Medicus.

AC tandem Andreas Matthiolus, qui tantæ rei cognitioni videtur, quasi extremam manum imposuisse, ut pauca admodum, quæ suo nitore non sint restituta, desiderari possint.

In præfatione suæ methodi de cognoscendis simplicibus.

Medicinæ Studiofi quamplurimi, qui Patavii Philosophiæ Medicinæ diu operam navarunt, affirmant audivisse saepe ac sapius Clarissimos Medicos Joannem Baptistam Montanum, & Gabrielem Faloppium in fuggesto legentes Matthiolum summis laudibus extulisse: Id quod ipse etiam attestari possum: Quin etiam Lucam Ghinum præclarissimum materiæ Medicæ indagatorem, Pisis, & Bononiæ magnis præconiis Matthiolum celebrasse.

30 PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS.

Hieronymo Donzellino, Medico ac Philosopho

S. P. D.

Respondetur Præcedenti Epistolæ

40 **A** Ccepi literas abs te tuas, ut longas ita doctas, ita officii plenas, quæ me mirifice recreant. Recensuisti enim in illis pro summa prudentia tua, causas omnes, quibus dolore animus meus revocaretur, quibus quidem omnino acquiescere me, equissimum fuit. Ulterius autem aliquanto quam par fuit, alicubi te, provexit amor in me tuus, dum recenseres laudes operis mei, quas dum etsi meo me metior pede, non agnosco, amo tamen, quod una cum Themistocle nullum æstimem jucundius æquæquam quam propria virtutis audire premium. Quod autem eam epistolam, voluisti esse publicam, eo consilio cenfeo factum, ut testatam relinqueres tuam erga me summam apud omnes benevolentiam, tum vero, ut testimonio tuo facta mea patrocinareris, quam impetiri quorundam malevolentia intelligeres. Nimirum sic decet amicum candidum, ut non tantum domesticis officiis præsto sit, ubi periculum nullum suscipitur, sed etiam palam cum opus est, invidia in se partem derivans, sua sententia & calculo approbet recte facta, crimina diluat. Hic summum officium amici agitur. Sed sunt omnino blandi quidam, & prompti alii ad omnia, sed occulti, & parum sortis amici, qui levius ducunt deserui, ne dicam prodi à se veritatem, & innocentiam, quam publice agere negotium necessarii non admodum odiosum. Atq; his meliorem mentem precor, te vero amo de eo, quod causam meam tecum communem esse ducis, in eo non officiosum tantum amicum, sed quod pluri facio, magnanimus sane patronum. Vale.

50 JOANNES CRATO MEDICUS,

Petro Andreæ Matthiolo,

S. P. D.

Probantur Matthioli defensiones, in Guilandinum, quædam vero pluribus asserenda censentur.

60 **N**ihil in vita mihi optabilius fuit bonorum erga me benevolentia, & judicio recto de me. Ac ut id in præcipua parte felicitatis meæ, si qua est solida in rebus humanis, posui, ita ne improborum malevolentia ab hac sententia dimoverer, studiose sum adnixus. Idcirco cum non modo humanitatem, eruditionem & prudentiam singularem (quæ ut par est magnificatio, atq; veneror) literæ tuæ præ se ferant, verum etiam candorem & propensionem voluntatis tuæ erga me testentur, gratissimas eas habeo, & tibi maximas gratias ago, cum tam amanter, tam accurate, tam prolixè scriptas misisti, atq; iis amicitia tuæ sores benevolentissime patefecisti. Ego vero in tua benevolentia, quam virtutis tuæ publicis commodis dedita & doctrina singularis admiratione expetivi, libentissime acquiesco, & operam daturus sum diligentem, ut studium & fidem meam pure, sine fuco, more majorum nostrorum tibi iis officiis, quæ à tenuitate nostra proficisci possunt, probem. Caterum cum intelligam te impulsu odio atq; malevolentia, à bonitate tua non recessurum, nec propter aprum istum hortulos tuos & satas arbores omnib; seculis profuturas, deserturum, sane tibi hunc animum gratulor, & ut Deus eum tibi conservet atq; diuturnum.

In Guilandini accerbitatem, & malevolentiam.

diuturnum validumq; vita spatium ad excolenda haec studia & perpetuum decus tibi conciliandi benigne concedat, oro. Vides quid seriat ubiq; furor juvenilis, & moribus insita petulantia. Ea ut feramus necesse est. Obsecro velles tua iis probari, qui neq; quod laudabile, neq; quid pium aut honestum, vel saltem cum humanitate conjunctum, vident? Nam si nihil nisi omnibus numeris absolutum & iisq; avaris & avaris probandum est, quid reperietur in rebus humanis, quod possit probari? Quam securitatem de aliorum censura insectatores illi, si sua protulerint, sibi poterint polliceri? Exhibeat iste, si potest, integros in Dioscoridem Commentarios, & aliorum iudicia subeat. Nam reprehendere quam docere, esse facilius de veteri sententia notum est. Certe nihil de amoris, nec (a quo natura, atq; institutione absunt) auribus. Praeclara atq; laudabilia exierunt in hoc genere opera, sed tuum (si quid iudicare possum) mihi quidem rōv ieromolafēvōv hēdior videtur. Neq; propter hanc animi mei inductionem Guilandino bellum indico, aut in vituperationem adduco. Acerbitatem odii & malevolentia toto pectore aversor, & doleo eum ¹⁰ ingenium minime obtusum, cognitionem literarum haud parvam, studium conquisitionis non plane iners, ad obtreccationes, criminationes, insectationes & calumnias conferre. Ineptum esse fateor ἀπολογίως quidvis credere. Nec quisquam Iustitia & moderationis laudem expetens, tam duras leges servis praescripsit, ut quae displiceant, probent. Sed illud proscōd injurium, & temeritatis atq; perverfitatis plenum est, omnem occasionem ledendi quare, impetum in bene merentes facere, ea quae recte cogitata firmaq; sunt, malevolentia convellere, & ex suo ingenio omnium voluntates aestimare. Nihil enim inconsulte hoc fingit Theonte displicere omnibus, Guilandino cum non placeas. Nihil inconsiderate pronunciat de multis, & iudicii sui soliditatem prodit, dum tui multo usu confirmati soliditatem evertere conatur. An non productio Plinio, Folium ac Malabathrum discernis? An non manifesta est calumnia de Cassia in Cinnamomum transeunte concertatio? De Viburno aculeata magis, quam firma objectio, & Nemesianum propugnaculum minime tutum. In Cneoro male cadit nimia illius iactantia. Effert autem se immodice βωμολοχία agrestis, de Beta sylvestri. Sabinam bacciferam hic, si fuisset etiam hortu quodam Civis nostri, grandem admodum ante paucos annos monstrare potuissem, & etiam nunc scire puto. Quid obsecro est occidari malevolentia, si hoc non est, cum non majori, sed minori Cedro te baccas tribuere videt? De Consilagine quando verbis autorum male intellectis odiose pugnat, eaq; veteratorie producit, quid aliud, quam insulas cavillationes & suam in arte Medica inscitiam prodit? Ad Solanum, si indormivisset, factum ab eo esset probē. Piper & Cubeba eum satis excitant. Utinam autem excuteret intelligentiam suam, cum Galeno tantam tribuit oscitantiam, & Mari atq; Amaraci manifestum discrimen tuum ex Galeni sententia ante temerariam scripturam, considerasset, atq; ad censuram, de Santalis, Fabaria & Telephio rectius ex veritatis studio excitatum iudicium attulisset. Sed de his satis. Cum autem optime mi Matthioli, nihil tam parvum, atq; ineptum sit, quod non suos admiratores & approbatores reperiat, cumq; de multorum sermonibus mihi certo constet, Guilandinum suum theatrum in Italia ³⁰ habere, & quosdam ἀνὰ δὲ ἐν αἰσῶν πῶλον rectissimum est, vel ἐν τῷ ἀποχάσει περὶ οὐρανὸν ἰδὼν ἀποτίσαι, dum illi invidia, malevolentia, morsuq; doloris lacerati consiciantur, vel si quid publica utilitatis studio suscipimus, nostra cum aliorum malis non misceamus, & quantum in nobis est, maledicentiam effugere studeamus. Est autem secundum Plautum, atq; non est in manu nobis, quin dicant non est, merito ut ne dicant, id est. Haec ed scribo, non quod tua doctrina excellentiam in ambiguum vocem, aut prudentia diffidam. Verum ne dum tuam innocentiam mihi atq; aliis probare cupis, in dicta malevolentia incurras. Nam si hanc tuam Epistolam (id quod de scripturionis diligentia existimo, nec quod minus id fiat obsto) dederes, vereor ne dicturi quidam essent, te in reliquis, ad quae non respondes, manus dare, quaedam etiam minus attente (id quod in ista convitiis & criminationum impuritate & foeditate, a quo omnes bonorum sensus abhorrent, minime mirum est) considerasse. De Malabathro afferre possent, Plinii auctoritatem, non satis munitam esse bonis testimoniis. Ad illud Cassiam & Cinnamomum unius plantae ⁴⁰ cem nihil responsum, De Bolo Armenica, quod non ex Lemno afferatur, nihil allatum. Zedoaria autem pro Costo ita alte in multorum animis radices egit, ut vix extirpari posse videatur. Mihi quidem a te evulsa est radicitus. Conquerentur de Saliunca, de Dictamno albo non satisfactum. Illud non animadversum, quod contendit in Cap. de Trago apud Dioscoridem legendum majora, non minora. Lacrimas, quas produci, abstergere conabuntur. In Limonio autem injuriam fieri clamabunt Guilandino, cum ille contendat plantam, quam pinguis (officinis Benrubrum appellatam) non esse Limonium. Tu vero existimare videaris, illum statuere non esse verum Ben Mauritiorum. Amellum Vergilii, plantam quam ostendis esse concedent, quod sit Aster Atticus Dioscoridis, pugnabunt. Haec et si scio cogitationis tuae comprehensionem non effugere, tamen ut probarem tibi amicissimum studium meum, monere, quod est amici, volui, neq; dubito ac potius certo scio, te in optimam partem accepturum, praesertim cum intelligas me, non alia voluntate quam tuum laudabile propositum consolandi confirmandiq; ista scripsisse. Quod ⁵⁰ autem & ad fidem initae amicitiae nostra attinet, ita tibi eam praestabo, ut inter multos tui amantes, amantiores Cratone, vix sis habiturus. Vale. Vvratislavia.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS,
Joanni Cratoni Medico.

S. P. D.

Comprobantur quae Cratoni non satis firma videbantur, contra
Guilandini calumnias.



Micitia recentis, quae mihi tecum contracta est, jam fructus uberrimos capio ex literis illis, quas superioribus diebus ad me dedisti. Plena enim sunt non tantum amoris in me tui, sed & officiorum ejusmodi quae alere & conservare animorum conjunctionem in primis solent & possunt. Atq; ut de ceteris non dicam, monita tua, quibus exasperatum me adversarii importunitate ad lenitatem reducere conaris, quanti me facere oportuit? Nimirum sic decet candidum animum, quibus bene veli, eos ut non collaudes tantum, ubi quid recte factum est, sed reprehendas lapsos, imminente autem periculo etiam moneas meliorū. Obtemperabo autem tibi, mi Crato, & moderabor animo meo. Si me tamen doloris acerbitas erumpere in gemitum

mitum coegerit, id te commodè interpretaturum, haud diffido. Grave est à vipera morderi, sed insinuat partibus Theonini dentis morsus molestior. Dii prohibeant, ne eum tu unquam experiaris. Adde quodd idem curationem perfectam nunquam recipit, ut ut purges, ut ut antidotum pugnes, serpit veneni virus, & licet omnia ad tollendum malum adhibeas, semper tamen aliquid haret. Non erat ille aper, ut putabas, qui vastasset hortulos meos: stant quidem incolumes, & immortales. Dii volentibus, labores mei cincti sepibus veritatis, vastarig, nequeunt. Me, me, non illos, dum planto, runcio, irriquo, summaque fide excolo viridarium meum, Theon isle ex aspidum genere venenosissimus, enutritus herbarum mearum succo (qua mirum, ut illi in venenum venerint) inopinantem laesit. An non iustus tibi videtur dolor meus, sic demorfi præter omne meritum meum? Nihilominus te hortatore, in posterum si non compefcam, saltem tegam & dissimulabo eum, quantum in me est. Sed enim veniam merebor interim, si quemadmodum Posidonius Stoicus, cum omnino non dolere statuisset, exclamavit tamen: O dolor, nihil facis, sic & ego nunquam humanum quid passus quiviter, præsertim apud amicum, qualem te esse iudico. Atque, hactenus impectasti à me, quod maxime volebas, ut deinceps in scriptis meis mihi temperem.

Nunc ad eam partem tue epistolæ venio, qua requiri aliquid à me ad ea, quæ Guilandini objectionibus respondendi. Nam ut singula ea excutiam, quæ Theon parum cognita mihi fuisse recenser, id sane integri operis fuerit, non Epistolæ. Hic tantum mihi fuit scopus cum ad te scriberem, ut ex paucis ostenderem, qualia reliqua essent illius. Nec propterea dedi manus, quod eo in loco hostem penitus conficere non volui, eum alio tempore, DEO volente, tractaturus.

Sed quæ deesse putasti meis literis, ea sic habent. De Plinii autoritate in Malabathro non satis munita, miror eorum, quos aut, iniquitatem, ne dicam impudentiam, qui ut gravi auctori detrahant fidem, nulla alia causa inducuntur, quam ut sibi, illo spreto & rejecto, fides habeatur. Agnosce autem ipse id minime decere homines, qui docere se posse alios profitentur. Confutare Guilandini opinionem, quod, Galeno auctore, dixerit, Cassiam & Cinnamomum unius esse plantæ corticem, non videbatur necessarium. Quum enim contra eum iam probaverim, Cassiam in Cinnamomum transire, non autem è contra, ut ille tam temere mentiri non erubescit, sane tibi & ceteris perspectum futurum, videbatur, intellexisse Galenum, cum hæc dicit, de Cinnamomi & Cassia corticibus tantum, qui ex Cassia plantis eximebantur, quarum surculi extremi in Cinnamomum quandoque transibant. Namque, universalis hæc propositio esse non potest, absque manifesta Galeni contradictione, qui Cinnamomi arbutulam à Cassia planta diversam facit.

Armenium bolum cum sciam ego, Constantinopoli ad nos advehi, & illuc apportari ex Lemno si tamen Veneti negotiatores mihi vera narrarunt) nihilque deesse illi, quod Lemnia terra non conveniat, putabam hoc sane haud se latere, nec ideo esse operæ pretium, ut cum Guilandini fabulis contenderem. Mendaci enim fides nulla est. Conquerantur in Saliunca quantum velint Guilandini Theatri applausores. Mihi enim longè magis Plinio, ratum quam Marcello ad stipulandum est, quippe qui post Plinium, Dioscoridem, & Galenum vixerit, ut ipsemet fateatur, nec ullam habuerit medicamentorum peritiam. Satis autem superque mihi probatum existimo ab auctoritate, à viribus, à natali solo, Saliuncam & Celticam Nardum, diversas esse plantas, nec uno tantum Marcello, ut Guilandinus, meas comparavi probationes. Manebo itaque, in sententia, nec inde me tantillum demovebo, nisi mihi clariora in contrarium afferantur.

Disputationem hanc excitavit, (ut doctissimus Marcellus inquit) una tantum Dioscoridi addita vox, qua nec una nec eadem in antiquis Græcis exemplaribus est. Sed in aliquibus, *Λαδύνη*, in aliquibus *Αδύνη* in quibusdam *Αδύνη* & in nonnullis duplicato *Λ*, *Αδύνη* legitur. Ex qua multiplici lectione facile quispiam conicere potest, hic, ut in quam plurimis aliis locis animadvertimus, Dioscoridi subesse mendam. Ad ea autem, quæ in albo dictamno vocato, obijcere posse eos contra meam sententiam putas, nempe legendum non esse, *μυρτίκη* sed *μυρτίκη*, respondebit pro me Oribasius, qui ex Dioscoride transcribens *μυρτίκη* non *μυρτίκη* legit, quemadmodum legerunt omnes quotquot sunt Dioscoridis interpretes, Hermolam, Marcellum, Ruellium, Cornarium. Quorum nullus extat, qui hac de lectione dubitaverit.

Guilandinus Plinium sequutus, cuius fidem infirmare ejus sectatores, paulò ante audivimus, ut aliquid novi in disputationem afferre videretur, *μυρτίκη* legendum somniavit, quod is scribat, Tragium non lentisco, sed Terebinto esse simile, cuius folia cum longe Lentiscinis sint grandiora, certat Guilandinus, *μυρτίκη* legendum esse. Sed quam feliciter Plinii sententiam in suam verterit, manifeste testatur ipsius Plinii in describenda Tragii facie inconstantia. Quippe in libro decimo tertio, capite vigesimo primo, Tragium Terebinto simile facit. Mox volumine vigesimo sexto, capite ultimo, Junipero simile esse scribit, magno in utroque loco errore, de quo apertissime testantur Dioscorides, Galenus & Oribasius. Qui quidem omnes cum præter hæc unà cum Plinio affirmant, in Creta tantum insula nasci Tragium, è suo illo asino cadit Guilandinus, cum quo radices Romanam afferre solebat, quod ubique locorum suum nascatur Tragium.

At si (ut inquit) lachrymæ à Tragio manantes abstergere conabuntur adversarii, eadem opera Aethiopi nigredinem abstergant, & Nili alveo aquas. Certe Dioscorides, Galenus, Oribasius, Plinius, Tragii lachrymæ apertissime meminere, quorum abstergere scripta, nulla unquam Guilandinica poterit spongia. In Limonio fateor errorem, sed non mireris, mi Crato, non enim poteram nasum à tam fetida latrina, quam olet Guilandini Theon avertere, quo minus etiam oculos retorquerem, quo postea factum est, ut legendo sim hallucinatus. Credam tamen eam plantam, legitimum esse Limonium, quousque, aliam afferant contentiosi illi, quæ evidentioribus notis à mea me amoveat opinione.

De Attico Astere nihil respondebo, nisi prius Amellum illud non esse verioribus comprobent argumentis. His auditis, quid in hoc etiam prestare valeam, illico intelligent: nisi fortasse Ruellii minus probandam versionem, quam ipsius Dioscoridis verba complecti statuerint. Hæc erant, quæ ego præteritis multis Guilandini calumniis consulto respondenda putavi, & quidem paucis. Idque, ea de causa, ut tu vir aliqui doctissimus ex paucis his, conviciatoris illius infidelitatem temeritatemque cognosceres. Sapientes omnia docere velle quenquam vani prorsus hominum consilium esse censeo. Ignarus itaque, cetera reservabo, ubi respiciere ceperint, aperienda, facileque ostendam sophisticæ esse omnia. Pertinacibus autem perpetuo tacebo. Bibant illi quos tuentur errores, quasi maternum lac, ut primum hoc ingenii alimentum, tanquam in organa iudiciorum transmutatum, nunquam postea deponere possint. Vale mi dulcissime Crato, & eo, quo capisti, me semper amore prosequere.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS,
Stephano Laureo Medico Cæsareo,

S. P. D.

*Exploditur Lacuna consilium de propinando infantibus Armenio
lapide scrupuli pondere.*

Andreas à
Lacuna
Dioscori-
dem in Hi-
spanicam
linguam
vertit.



Argentum
vivum
contra ver-
mes.

Armenii
lapidis de-
jectoria vis
qualis.

Lacuna
opinio im-
probata.

Armenium
Lapidem
pueris po-
tandum
exhibet
Ætius.
Armenius
Lapis
qua quanti-
tate su-
meodur.
Medica-
mentum
ad puero-
rum Epilep-
siam &
spirandi
difficulta-
tem.

Argentum
vivum se-
cure dari
posse po-
tandum ad
necandos
interaneo-
rum ver-
mes.

De Frigi-
melica hoc
est audi-
tum.

Argentum
vivum dari
non sine
auxilio
aggre par-
turientibus.
Argentum
vivum la-
vatur.

Um hoc anno in patriam iturus hac iter faceres, offerebas mihi Dioscoridem ab Andrea à Lacuna, 10
viro in Græcis, & Latinis literis versatissimo in Hispanicam linguam conversum, & annotatio-
nibus etiam illustratum, sed inter cetera cum legeres in lapide Armenio ejus annotationes, mira-
baris sanè plurimum, quod scriberet Armenium lapidem scrupuli pondere propinatum ex mino-
ris Centaurii decocto, ad puerorum epilepsiam, admirabile esse auxilium. Cum itaq; judica-
res Lacunam hominem, ut doctissimum, ita in curandis agris esse exercitissimum, (quanquam, hoc tibi ve-
bementissimum videbatur medicamentum,) hominis tamen experientia, & doctrina persuasus, videbaris ejus
sententiam non omnino improbare. Nam cum tibi antea compertum esset, & in Italia, & in Hispania ha-
beri non obscura fama medicos, qui ad vermes interaneorum necandos tuto, certoq; auxilio pueri argentum vi-
vum potandum exhiberent, quod tamen inter letibalia medicamenta recensent antiqui, putabas non esse miran-
dum, si præter medicam rationem, & tui ipsius opinionem tam feliciter in lætentibus pueris epilepsia vexatis, 20
Armenio lapide uteretur Lacuna. Hæc dum mecum conferres, petebas, ut de re hac meam tibi exponerem senti-
entiam. Atqui tametsi tua satisfacienda petitioni promptissimus esset animus, cum tamen tunc itineri maturando
omni celeritate te accingeres, ego verò aulicis negotiis occupatissimus essem pollicebar me tibi per epistolas satisfa-
cturum, quam primum in Cæsaris aulam redisses. Nunc autem quum primum intelligam superioribus diebus,
illuc te sospitem advenisse, ne pollicitationis mea me immemorem esse censes, committere sanè non potui, quin
illico sententiam meam, de re hac ad te scriberem. Si verò quid sentiam ingenue fateri debeam, nulla sese
offert ratio, qua Lacuna sententiam comprobare possim. Quippe experimento sine ratione factis, non video, cur
ita facile mihi subscribendum sit, præsertim ubi hoc in fiat medicamentis, quorum cum occultas facultates, tum
etiam manifesta, notissima sunt omnibus. Scio ego non solum Tralliani consilio edocui, sed propria in curan-
dis agris experientia, Armenium Lapidem ex eo haberi medicamentorum genere, qua electivè per vomitum, & 30
per alium purgant, nec quamvis diligenter lotum propinari posse etiam robustissimis viris, quo minus perturbet,
& violentas moveat vomitiones, & alui dejectiones, scrupuli vel semi drachma pondere haustum. Id quod ma-
nifeste fatetur Mesues: quippe qui scribat Armenium lapidem nocere stomacho, quin etiam cum subversione,
& angore purgare, quo fit ut temerarium admodum esse censeam Lacuna judicium, quod lætentibus infanti-
bus Lapidis Armenii scrupulum propinare audeat, addito etiam Centaurii minoris decocto, amarissimo sanè re-
medio, & propterea abominabili pueris. Itaq; credas in posterum velim, quemadmodum mihi etiam per-
suadeo, hoc medicamento scrupuli pondere haudquaquam usum esse Lacunam, sed incircumspecte id ex Aetio
transcripsisse, qui libro secundo, capite quadragesimo septimo, ex Nichessoni autoritate, sic de Arme-
nio Lapide scriptum reliquit, Armenium, quo pictores utuntur, duodecima drachma parte melancholicis &
sanguinem crassum habentibus datur. Datur & pueris pectoris morbo infestatis. Revomunt enim, cum vo- 40
mitorium existat. Datur & morbo sacro obnoxii, ac furiosis hoc modo. Centaurii fasciculos manipulares
tres in aqua marina beminis tribus coquito, donec una supersit, & cum excolato decocto Armenii lapidis, quem
Græci Armenium vocant, tertiam drachma partem terito, ac confidenter exhibeto, nihil enim periculi est.
Hæc Aetius ex Nichessone posteritatis memoria commendavit. Quibus tibi facile palam fiet, non solum parum
admodum sibi constitisse Lacunam, dum hæc in suas transferebat annotationes, sed nullam, vel exigentiam me-
dicamentorum habuisse peritiam. Addam etiam (pace docti viri dixerim) quod negligentis satis Aetii ver-
ba expenderit. Siquidem cum in universum melancholicis & sanguinem crassum habentibus, duodecimam
drachma partem tantum exhibeat, miror sanè, cur scrupulum infantibus lætentibus, ex centaurii decocto dare
audeat Lacuna, cum id tantum furiosis, maniacis, & sacro morbo vexatis dari præcipiat Aetius. Atqui in-
fantes nec maniaci, nec melancholici, nec furiosi sunt, quo fit, ut de his haudquaquam intellexit ille, sed de 50
viris jam atate adultiore usq; robustis. Probo quidem ego Nichessoni medicamentum, sed Lacuna consilium
modis omnibus reprobis. Ideoq; unius vel alterius grani pondere id infantibus dari posse crediderim, cum Epi-
lepsia, cum spirandi difficultate affectis admirabili sanè juvamento, rhodomelite, oxymelite, vel prisana
exceptum. Nam cum illud revomant sumentes, (ut Nichesson ille inquit) nihil penitus periculi asserere po-
test. Nam scrupulo quatuor sexue posse ingulari infantes, ego sanè non ambigo. Utinam ad Lacunam per-
veniat hæc nostra epistola, anteaquam unquam alicui infanti suum hoc propiner medicamentum. Utinam eo
fuisse judicio, dum hæc describebat, quo in propinando infantibus argento vivo, fuisse illum animadvertito.
Quod quidem meo judicio securus dari potest sesamini seminis quantitate, vel etiam coriandri in adultioribus,
quam Armenium scrupuli pondere. Siquidem cum nulla alia lethifera facultate (ut Dioscorides inquit) inte-
rimat, quam quod suo ingenti pondere intestina laceret, nihil sanè verendum videtur, minimam ejus quanti-
tatem id moliri posse unquam, præsertim cum sua gravedine, ac Sphærica forma, facile e corpore per inferiora
labatur. Idcirco mirari non debemus, si Brasavolus tam clarus atq; nostræ medicus, ad necandos interaneo-
rum vermes, dari pueris argentum vivum nullo incommodo scriptum reliquit, & eo tam feliciter usus sit alter
quidam Clarissimus Medicus Patavinus, quanquam parandi, dandiq; rationem neminem unquam docere
voluit. Atqui ego, etsi hoc medicamento nunquam sum usus, vidi tamen dari sepe illud scrupuli, vel sesqui-
drachma pondere, à Goritiensibus obstetricibus aggre parturientibus mulieribus, nullo prorsus incommodo, sed
felici semper eventu. Datur vivum non extinctum, ut quidam putant. Quod enim extinctum est, ventri-
culo hæret, & intestinis & sava excitat symptomata. Lavandum tamen prius ex acerrimo aceto cum sale misto
mox tenui corio excipiendum, manibusq; tam diu premendum, quousq; per corii meatus excidat. Sic enim pur-
gant,

gant, qui eo uti volunt. Hic habes, mi doctissime Stephane, meam de Lacuna medicamento sententiam, quam non ut probes, sed ut iudices ad te mitto. Magnificatio enim iudicium tuum, & ingenii tui acumen, quibus hac omnia me longè te enucleaturum non ambigo. Vale. Praga.

PETRO ANDREÆ MATTHIOLO,
Senensi, Medico clarissimo, Bartholomæus
Maranta Venusinus Medicus,

S. P. D.

*Excusatoria est Epistola, de quibusdam contra
Matthiolum editis.*



20 **C**um ad te librum meum, quem de ratione cognoscendorum simplicium conscripsi, paucis ante mensibus miserim, nec literarum aliquid abs te acceperim, sanè id mihi perquam molestum fuit, quòd expectatissimis tuis literis frui non licuit: quibus ego aliquam meorum laborum, ac laudis (si qua erat) gratulationem tui expectabam, quæ quanto jucundior ac gratior futura erat, tanto gravius, ac molestius fero, quo illa privor. Et cum hoc ipsum cum amicis dolerem, exiteret, qui non solum suspicarentur, sed qui certo se quasi divinasse crederent, factum id à te esse, non tam quòd operosis negotiis, quæ ipse accusabam, distraheris, quam quòd alieno a me animo esses, ejuſq; rei causam fuisse meum ipsum, quòd ad te misi, opusculum, affirmant. Aiebant enim te, si librum ipsum universum, ut credere par est, percurreris, omnino ejus lectione fuisse commotum, quòd quadam de te in eo minus modeste aut honorifice, quam vel maximi tui nominis auctoritas, vel singularis tui in me amor exposcat, sint perscripta, eaq; sine stomacho legi à te non potuisse. Quamobrem ingrati animi crimen, hac in re non effugisse me affirmabant, non esse nisi claudicans amicitiæ indicia adjuvantes, ab ejus opinionione velle discedere, qui me non solum magno amore sit prosequutus, sed summis etiam laudibus ornaverit. Illudq; crimen eo gravius esse & videri, quòd ea, quibus à te discrepo, nullum servans modum, aut modestiam, sed potius proterve, ac petulanter prosecutus sim: ut videar voluisse, dum multam mihi laudem aucupari studeo, tuo splendori, ac gloria quodammodo tenebras offundere. Nam quemadmodum non est ullum certius amicitiae vinculum, quam consensus & societas consiliorum & voluntatum, ita simul, atq; sibi, vel gloriam, vel utilitatem, vel aliquid aliud, quam alteri quisquam maluerit, ipsam nullam fieri, ac funditus everti, asserunt. His quidem ego non mediocriter perturbatus sum, nam cum mihi nihil unquam majori cura fuerit, quam ut primum abs te ipso, deinde à cæteris omnibus, quam gratissimus erga te esse cognoscerem, & cum nihil, quantum in me fuit, pratermissem, ut dignitatem atq; existimationem tuam (quæ semper apud me maximi ponderis fuit) & reverer, & summis etiam laudibus efferrem, non potui non summo affici dolore, quòd sint nonnulli, qui me in senso à te, atq; inimico animo esse suspicentur & affirmant. Ac tamen grave est verè accusari in amicitia, longè tamen gravius semper duxi falso accusari. Cumq; mihi ipsi conscius sim, nihil à me unquam excogitatum esse, nedum commissum contra dignitatem, atq; amplitudinem tuam, illorum, qui me accusant, reprehensione non uſq; adeo commotus essem, nisi inter cæteros, Joannes Antonius Pisanus Medicus, vir summi judicii, maximèq; in hac nostra urbe auctoritatis, idem admonuisset. Nam is, cum & mei amantissimus sit, & tuorum scriptorum studiosissimus, et si in cæteris omnibus in hac tamen potissimum re, audiendus mihi fuit. Cognovi enim illum non ideo hac dicere, quòd veller me temeritatis, atq; impudentiæ nota aspergere, tamen si non ignorarem, illum pro honore atq; dignitate tua, malevolorum obreſcentias & invidias, si quando opus fuit, prostravisse, sibiq; perpetuam pro te propugnationem suscepisse. Sed cum te non mediocriter observet, me autem plurimum diligat, putavit suas esse partes, me de ea re commonescere, quæ (nisi provisum prius sit) immutare te mihi facile posset, quòd ipsi (quæ sua est erga utrumq; nostrum benevolentia) tam esset molestum, quam quòd molestissimum. Itaq; ostensis ab ipso mihi locis, quæ id quodammodo apertius præ se ferre videntur, capere mea illi mentis, ac consilii rationem reddere, atq; quid me ita vel scribere, vel sentire impulerit, manifestare, tandemq; effeci, ut illum à priore sententia deducerem, atq; unà mecum affirmare hominem coegerim, nihil in eo opusculo à me contra existimationem tuam scriptum esse, quòd vir aliquis probus redarguat, si modo sententiæ, ac res ipsa, non verba, ac literæ, asstimentur. Verum consuluit, ut ea de re ad te scriberem, meq; tibi totum patefacere. Non enim verebatur, ut si quæ tibi à alienati mei in te animi suspicio incidisset, futurum, ut eam protinus abjiceret. Illudq; etiam omnibus satisfactum iri, qui id ipsum quoquo modo sibi persuasissent. Obtemperavi igitur Pisano, atq; hæc ad te literas exarare volui, quibus cognoscas, nunquam mihi, tui aut colendi, aut observandi voluntatem defuisse. Ac video quidem duo præcipue esse, in quibus meam erga te, vel fidem, vel amorem eo in opere illi desiderant. Primum quidem quòd à te multis in rebus dissentire voluerim: Deinde quòd in nonnullis acerbius asperitèq; quam amici officium exigere videatur, à te discrepaverim. Quæ duo, cum ut spero, dilucro, & illis, & tibi, si oportuerit, etiam planius ostendam, me nihil adeo unquam horuisse, quam ingrati animi crimen. Atq; ad primum ne respondere quidem deberem, cum curvis notissimum sit, non propterea violari frangiq; leges amicitiae, quòd ab amici sententiâ quandoq; declinemus. Id enim, ut à te peti minime solitum esse, certo scio, ita si à quopiam petatur, neq; ei concedere verus, ac minime blandus amicus debet. Quid enim turpius esse potest, quam cum amico in iis rebus velle consentire, quas aliter esse quispiam sentiat, ac iudicet? aut quæ major pestis in amicitia esse potest, quam adulatio, blanditiæ, assentatio? Si quid igitur in eo opusculo, à me scriptum est, quòd cum hiis, quæ à te scriptis tradita sunt, non ex omni parte consentiat, feci id quidem, non quòd odio quodam, ac similitate à te dissidere vellem, nec ut ex huiusmodi contentionibus aliquam mihi inanem gloriam, laudemq; compararem, sed ut fidelis boniq; scriptoris munere fungerer, cuius est veritatem, quam putat apertam, ingenue, ac libere exponere, nihil fictum, nihil simulatum proponere, sed in sola veri inquisitione, atq; investigatione, ita la-

borare, ut non tanquam adversarium aliquem convincere, sed veritatē ipsam, quæ in primis est hominis proprietas, invenire studeat. Ex quo non a te solum, sed à multis aliis præclarissimis viris dissentire mihi licere arbitratus sum, ne id commodi, quod ex perspecta veritate emanare solet, invidere hominibus viderer. Quis enim esse posset mei libelli fructus mortalibus, si dum amicis blandior, id celem, quod præcipue ab illis expetitur? Quæ etiam meorum laborum laus, si ea tantum scripsero, quæ vel à te, vel ab aliis maximi nominis viris prius diligenter atq; exacte posteris sunt demandata? Nisi fortè eam provinciam, ideo mihi suscipiendam putassem, quod tua aliorumq; scripta meo testimonio confirmata, libentius lectum iri ab hominibus mihi ipsi persuasissimè. Sed unde mihi hoc novum benevolentia genus? Unde hac tam inusitata beneficentia? unde adeo inauditum officium, ac liberalitas? Hæc non ideo ad te, vir præclarissime, scribo, quod putem displicuisse tibi, me à te in nonnullis rebus dissentire, sed ut obrectatorum nugis iter intercludam. Novi enim te veritatis amantissi- 10
mum, cupidissimumq;, & qui aliorum honestis laboribus non solum non invidas, sed libenter eos etiam complectaris: & si quid in illis reperias, quod tu non prius excogitaveris, aut inveneris, id ipsum non asperneris. Ut qui & scias & confitearis in quavis scientia posse indies nova excogitari, idq;, etsi in omnibus, præcipue tamen in simplicium medicaminum indagatione evenire, quod tu in eruditissimis tuis in Dioscoridem commentariis ostendisti. Cum aliorum operam in tuis laboribus locupletandu non solum sponte oblatam non recusaveris, sed etiam libenti animo expetiveris, quod & in tuo opere suis locis ingenuè aperteq; confiteris, cum nulla in re, ne minima quidem, defraudare aliquem suo labore volueris. Quin potius in aliquo celebrando atq; in referenda gratia, prolixior, atq; liberalior, quam exigui officii postulare, te præbuisse. Cujus quidem rei, vel ipse testis sum, quippe cui longè plus tribueris, quam res & veritas ipsa concedat. Nec enim tu mihi gratiam modo habuisti, sed cumulatissime etiam retulisti, ut nisi paristudio erga te sim, & voluntate, non solum in- 20
gratum, sed etiam impium ipse me existimem. Verum quanti te faciam, semperq; fecerim, non dubito, quin ex Luca Ghino primum, dum inter mortales agebat, deinde ex multis aliis utriusq; nostrum necessariis, acceperis. Puto igitur tibi exploratum esse persuasumq;, habere, meum studium semper extitisse colendi tui atq; observandi, teq; existimare, nihil esse tam laboriosum, aut difficile, quod non pro te mihi susceptum, jucundum sit futurum. Hæc inquam, in te mea cum semper extiterit voluntas, id ipsumq; tibi persuasissimum fuisse crediderim, induci ad credendum nullo pacto possum, ac ne cogitatione quidem complecti, tuam in me benevolentiam, tam levi causa refrixisse, quare nihil etiam est, quod aliorum suspensiones extimescam. Verum quia (uti dicebam) ubiq; reperiri solent quedam pestes hominum, qui nihil æque student, atq; concordiam inter conjunctissimos disjungere, ne quid ejusmodi inter nos accidat, baud alienum esse existimavi, amici mei consilii morem gerere, ut prius de his rebus ad te scriberem, meumq; erga te animum simplicem, atq; prom- 30
ptum aperirem, quam de me perfidia malevolorum tale aliquid garrat, constitutam quod inter nos concordiam distrabere possit. Sed ut ad secundum accedam, quod multum momenti habere videtur, duo potissimum loca mihi ostendit Pisanus, (nam vix tertium reperiat aliquis, de quo aliqua ratio habenda sit) quæ cum per-verse aliquo modo, quis interpretari possit, ignarus mea erga te voluntatis, perversi animi calumniam non effugere fortasse existimabit. Sed ea cum exposuero, meaq; sententia rationem reddidero, non dubito fore, ut quemadmodum Pisanus ipse, vir optimus atq; integerrimus, ita & quivis non iniquorum astimator, boni consulat. Atq; illud mihi primum occurrit, quod de aspera Lonchitide primo libro nostræ Methodi scripsi, ubi hæc leguntur verba. Hanc in doctissimis suis commentariis non depinxit Andreas Matthiolus, sed aliam, quam nescio, quo pacto à Luca Ghino pro Lonchitide ad se missam falso asserit. Hæc nos. Qui verba hæc ita nude, ac simpli- 40
citer, uti sonare videntur, consideret, existimabit te à me, ut mendacem vanumq; scriptorem notari. At qui rem ipsam, nostramq; mentem potius astimet, longè aliter rem se habere comprehendet. Nam hæc vis verborum, non tam te redarguit & refellit, quam meam admirationem manifestat. Admirabar sanè à te aliquid cuiuspiam tribui, quod scirem illum minimè sensisse, non autem asseverabam, te minime vera docere. Cur enim in tam paucis verbis adeo inconstans essem, ut quem mendacii coarguerem, eundem doctissimum appellarem? Unde mihi per Deos immortales tecum adeo familiaris inimicitia, ut quasi venenum in mellito poculo tibi offerre cupiam? An verò mendacii notari dixerimus aliquem, cum dubios nos esse asserimus, cur ita scripserit? An hæc verba (Nescio quo pacto) non ita corrigunt attributam tibi falsitatem, ut nihil minus quam falsum te esse significent? An tandem putas me tam ineptum, ut luculentiores contradicendi, calumniandiq; modos excogitare non potuissem? utq; nulla in brevibus verbis contradictione commissa, aliquem & falsum, & mendacem repre- 50
hendere valerem? Sed ut rem omnem à principio exponam, scito plantas omnes, quas à te Pisis Lucas Ghinus an-

Lonchitis
aspera.

Plantæ à
Ghino mis-
se Matthio-
lo.

no ab hinc nono misit, mihi prius ab eo fuisse ostensas, inscriptionesq;, quas singulis plantis apposuerat, non solum vidisse me, sed etiam descripsisse. Erant enim in illis descriptionibus ejus opinionum rationes, quas maxima utilitati mihi, jam tum simplicium cognitionem magnopere expetenti futurus esse (ut certe quidem fuit) existimavi, easq; apud me vel nunc seruo. Inter eas verò erat Lonchitis altera, quæ hunc ad verbum habebat titulum adnexam. Hanc esse Lonchitim asperam aliqui sentiunt: Ego verò potius filicis genus, nam asperam Lonchitim veriorē agnosco, hæcenus. Tu eandem depingis, facerisq;, te illam vidisse studio, liberalitate Luca Ghini, qui eam Pisis ad te misit. Ac tamen non explices, pro Lonchiti aspera ab eo, ad te missam esse, id tamen non rudis lector ex verbis tuis facile colligat. Quam enim liberalitatem in Luca agnosceres, si hanc de Lonchiti opinionem ei acceptam non referres? Cum igitur inscriptio illam non Lonchitim, sed filicis genus appelleret, & videam non aliam sed eandem à te pro Lonchiti vera efformari, non potui non in summam admirationem adduci, 60
quod quasi imprudens, nolensq;, à Luca Ghini mente aberraveris. Sed te cum virum ingenuum candidiq; animi cognoscerem, non malitiosè, aut ex fraude, sed rationabili aliqua persuasione inducendum in hunc errorem incidisse, credendum existimavi. Quæ ratio cum esset mihi miris comperta, ut veram Luca sententiam, utq; veritatem ipsam, quam putabam, aperirem, dixi à te minus vere, nescio tamen quo casu, Ghino illam tribui de Lonchiti sententiam. Nam cum ego aliam pro Lonchiti vera ostendere in eo opusculo vellem, idq; inventum Luca Ghino (à quo primum ejus rei sum admonitus) acceptum referre in animo esset, nisi ita de ea scripsissem, & Lucam, & te, & me ipsum etiam inconstantem, variumq; reddidissem.

Lucam quidem, quod ei diversam ab ea, quam illi tu ascribes, opinionem tribuissim. Utrumq; verò nostrum, quia cum ea in re inter nos non constarem, data esset lectori ansa, ut alterum nostrum men-

- mendacii coargueret. Quare, ut ex tot angustiis emergerem, exponendum mihi erat, cur à te diffensissem. Quà quidem diffensio, cum non tam circa rem ipsam, quam in exploranda Luca Ghini mente versaretur, existima- vi a quo animo te laturum, si in re nullius fere momenti, casu nescio quo, falsum te esse tui amicissimum, atque amantissimum diceret. Nihil enim vetabat, ut vel pagella illa, in qua Lonchitis inscriptio erat, deperderetur, vel crosa oblitteratave ad te perveniret, ita ut ejus integram sententiam tibi videre non liceret, vel quod eam se- mel tantum à te lectam, dum plantam ipsam depingendam sculpendamve præbes, rejecisses, tandemq; ob rerum incredibilem varietatem, quam quidem in tam laborioso opere conficiendo quotidie struebas, quod in ea con- tinebatur, mente caderet, vel ut quavis alia fortuna incideret, qua animum tuum à veritate ipsa distraheret. Ac quemadmodum ea, quæ casu eveniunt criminis expertia esse debent: ita neque te ignominia, aut dedecore
- 10 affectum iri existimabam, quod falsus in eare appellare, quam nec opinatus casus gubernavit. Hanc igitur meam extitisse mentem in illis verbis, vir clarissime, nullo pacto dubites velim. Deumq; testor immortalem, nulla me iniquitate, aut perversitate commotum, sed integro atque sincero animo ea protulisse. Quod si haud satis aptis appositisq; verbis, sed potius duris, ambiguisq; illud affectus sum, in hoc accusari, atque reprehendi non à te solum, sed etiam à quovis facile patiar, meumq; erratum deprehensum jam, atque manifestum con- fiteor, quod tamen si criminis est, inconsiderantia cujusdam negligentiaq; crimen est, non voluntatis. At ex verbis, & literis mentem alicujus aestimare, calumniatoris officium est, nam ubi rerum testimonia adsunt, quid opus erit verbis? An putamus aliquid ponderis habituras esse in rebus ambiguis, & obscuris interpretum explanationes, ubi autor ipse scriptorum suorum rationem, sententiaq; suæ expositionem perspicuam manifestat. Jam puto me tibi planius exposuisse consilium meum, ac rationem reddidisse, cur ita scripserim de Lonchiti al- tera, in qua quidem re, non despero fore, ut (qui tuus est animi candor) in meis rationibus acquiescas. Verum, cur ita scripserim, ac quid potissimum me moverit, ut tuam de Lonchiti sententiam persecutus non sim, breviter exponam. Movit me quidem in primis Luca Ghini autoritas, qui cum in ea, quam tu depingis, asperitatem multam desideraret: nunquam pro certo affirmare ausus est, illam veram esse Lonchitim asperam, tandemq; adinventa illa, quam nos veram credimus, ita à prioris sententia detrusus est, ut illam filicis genus esse crede- ret, hancque, ut veram ac genuinam, agnosceret. Atque induci ad credendam vix possum, ut de hac sententia Lucas deduceretur, rursusq; in pristinam reverteretur, quando in hac non asperitatem solum, sed omnes alias notas ita apposite Dioscoridis delineationi quadrare cognovit, ut nulla in re, vir ille aliqui modestissimus, optimusq;, adeo se magnifice jactaret, atque ob nihil fere aliud, ita gaudio exultet, quam ex hujus Lonchitis, quam verissimam existimabat, inventione. De qua intellexit in superius adducta inscriptione, cum inquit: se
- 30 acriorem Lonchitim agnoscere. Habet enim hac folia scolopendrii majore, longe magis divisa, ac multo aspe- riora. At illa quam tu depingis, præter figuram quandam, Aspleni nihil habet, meo quidem judicio, Dioscoridis descriptioni congruum, nullam enim in ea videre est asperitatem, sed ex utraque parte lavis est: tantum abest ut scolopendrio asperiores esse eam dicamus. Nisi forte idcirco asperam illam dixerimus, quod duriuscula, & quodammodo solida sunt ejus folia: Sed non ita se res habet, quando fieri non potest, ut vere dicamus, alterum altero asperius, nisi in utrisque insit asperitas, ut neque recte fiat comparatio nisi in asperitatibus ejusdem natu- ra, & speciei. Quare si Lonchitim quantum ad asperitatem pertinet, Aspleno comparabimus, intueri primum debemus, quodnam genus asperitatis in Aspleno sit, ut eandem sed majorem in Lonchiti queramus. Sed nul- lam ego in ea invenio præter hirsutiem, seu scabritiem illam, qua ex averfa fronde flarescit. Concludendum est igitur eodem pacto à nobis in Lonchiti asperitatem quari oportere. Sed diversis vocibus, eandem rem voluit ex-
- 40 plicare Dioscorides, ut quod in Aspleno appellavi hirsutum, voluerit id, in Lonchiti asperum dicere: & quo- dam hirsuta esse Aspleni folia dixit, voluit in Lonchiti asperiora esse dicere: quod perinde est, ac si hirsutiora dixisset, vel scabriora, quod facile comprobatur ex varia interpretum versione, cum noverint hæc duas voces ῥαχιδι & ἀσπερι sæpius apud Græcos ita confundi, præsertim in plantarum signis, ut sine ulla discrimine alterum pro altero sumatur. Atque ut à proposito exemplo, non recedamus, quod in Aspleno Græce ἀσπερι Ruellius vertit hirsuta, Marcellus aspera. Rursusque quod in Lonchiti jacet ῥαχιδι, Ruellius reddit asperiora: at Hermolaus scabriora, quod idem fere est, quod hirsutiora. Quamobrem adduci non debemus, ut diversam idcirco accipiamus asperitatem in Aspleno & Lonchiti, quod diversis nominibus utatur Dioscorides, cum con- stet idem intelligere voluisse. Quod si ita est (ut certe est) non video, cur possit pro Lonchiti aspera ostendi plan- ta, qua nullam habeat asperitatem scolopendrii similem, nedum majorem. Accedit hæc, quod neque magis
- 50 divisa sunt folia ejus, quam tu pro Lonchiti depingis: quod enim in Lonchiti Græce est μάλλον ἰσχυρῶς, sæ- pius apud Dioscoridem non tam continuam scissionis quantitatem, quam numerum denotat. Atque ita hoc loco etiam intelligendum esse existimarem. Ruellius vertit, & multo magis divisa: sed clarius Marcellus, plu- ribus incisuris divisa. Sed quod idem voluerit exprimere Ruellius ex aliis nonnullis Dioscoridis locis, ubi ea- dem verba leguntur, colligere est, præsertimque in tertio Aconiti secunda speciei, ubi quod Græce habet μάλλον ἰσχυρῶς reddit crebriore divisura, nullum constituens discrimen (quantum ad sensum pertinet) inter pri- nam & secundam jam adductam versionem, sed planta ipsa Aconiti hanc Dioscoridis fuisse mentem testa- tur, ut tu optime nosti, qui tertium Aconiti genus depingis multo crebriore quam platani folia sunt, divisione. Idem observare est in Ligustico, cujus folia Dioscorides dicit esse prope verticem graciliora ἢ μάλλον ἰσχυρῶς. Ligusticum
- 60 majora debere esse folia ad summam: major enim divisio, majus etiam subjectum requirit. Verum quia Dioscorides asperitatem graciliora esse, & magis divisa, necesse est, dicamus, ideo macilentiora fieri, quia tenuius scin- duntur. Ad quod animum cum advertisset Marcellus, tam in Ligustico, quam in aliis supra commemoratis locis, illa verba Græca vertit, Et pluribus incisuris divisa. Hoc non eo spectat, ut existimem, ubicunque re- periantur hæc duo verba, semper numerum divisionum significari. Scio enim quantitatis scissionem frequen- tius ab illis denotari, sed asseveramus, ac firmiter credimus in multis apud Dioscoridem non aliter, quam uti ex- posuimus, intelligi debere, quod exempla & versiones adductæ satis declarant. Sed hæc versiones nullius momenti esse, quænam quæso in tua Lonchiti divisio est? nullam enim inspicio, sed video quo mens tua tendat. Patas enim unicum duntaxat folium esse oblongum, utrinque divisum totum, id, quod à radice ad extremum acumen protenditur. Sed longe aliter, mea quidem sententia, asserendum est: nam quæ tu divisiones appellas,

potius separata folia dicenda sunt, cum nihil sit, quod alterum cum altero connectat. At in Aspleno non item. Possimus namque in ea, quod ab radice oblongum assurgit, oblongum appellare folium, atque divisum dicere, quia ejus scissura ita sunt, ut ad extremum pediculum non perveniant: sed est portio adhuc, qua sectam partem cum altera conjungit. Atque hunc fuisse Dioscoridi morem, ex aliis clarissime cernimus. Neque enim Trichomani oblonga folia divisaq; tribuit, sed potius folia lenticula, in ordinem utrinque digesta, adversa in se in ramulis tenuibus. Sed nonne idem pene foliorum exortus est in Lonchitii tua? Cur igitur in Trichomane folia appellabimus, eademq; non folia, sed foliorum scissionem in Lonchiti? Sed si recte consideremus ea, quae a Dioscoride tradita sunt, inveniemus in omnibus idem ab eo observatum esse, ut ubicunque perfecta esset, atque absoluta a partis a parte separatio, dum modo illa partes eandem effigiem, eandem quantitatem, saltem in pluribus obtineant, eas frondes appellaret: Non autem universam ex illius partibus compositionem, unicum folium vocavit 10
divisum in plures particulas. Sic quinquem folia mentha tribuit, quina singulis pediculis, non autem unicum folium quinquem partitum. Sic etiam Viticem olea folia habere recte dixit, tametsi ex uno pediculo plura exeant, quemadmodum & filici ex uno pediculo cubitali folia exire multifida alarum avium modo expansa: non autem cubitalem illam longitudinem unicum folium existimavit multipliciter scissum. Ac mirari hac in re licet Marcellum, qui id sibi persuaserit, reclamantibus omnino Dioscoridi verbis. Contra vero Ricinum vult habere folia Platani, majora tamen, quia non putavit appellanda esse separatim folia, quae dividuntur quidem sed non ad extremum usque pediculum: Ita & veratrum nigrum dicit retinere folia Sphondylii similia pluribusq; incisuris divisa: universam multifidi folii compactionem unicum folium appellans. Sed hujusmodi exempla ita clara sunt, tibi q; tam saepe perspecta, ut in illis immorari amplius non oporteat. Quod si igitur haec vera sunt, nullo pacto scissis foliis tuam Lonchitidicemus, sed plurab habere folia parva, utrinque ex uno pediculo dodran- 20
tali, vel minore adversa in se, atque ita Dioscoridis descriptio, et nullo pacto quadrabit. Si quis igitur plantam habuerit, quae nullam ex his difficultatibus patiatur, cur non potius eam pro Lonchiti altera ostendat, quam tuam? At ejusmodi est, quam nos veram existimamus, multo enim magis, quam Asplenum divisa est, sive id pro maiore divisione, sive pro crebriore accipiamus. Est praeterea major & hirsutior. Sed si ita est, circa quid versabitur ejus cum Aspleno similitudo? Nempe circa substantiam & asperitatem & colorem. Neque enim potest esse in forma sive figura, quia diversam in ea constituit formam, major sive crebrior scissio. Quod eo magis tuam arguit, cujus omnis, ac sola cum Aspleno similitudo in figura est. Ex aliis enim, quae subdit in plantis delineandis Dioscorides explanat, circa quid perstringatur similitudo: Ut cum Trichomanem dicit esse filici similem, ad substantiam retulit, non ad figuram, quia subiunxit exiliorem esse & foliis lenticula. Ita de Lonchiti intelligimus necesse est, quia quemadmodum Scolopendron, superne herbacea est, inferne hirsuta & 30
flavescentes, ita & Lonchitu, in gradu asperitatis solum eam superans: ceteris etiam, quae ad substantiam pertinent persimilis. Quae omnia in nostra esse nemo, qui eam semel viderit, negare potest. Adde quod aculeus qui in nostra est, in summitate adnexus, nominis rationem exprimit, quod in tua non evenit. Haec sunt rationes, quae in causa fuere, cur tecum in Lonchiti aspera minus consentirem, quae si vera sunt, mihi gratissimum erit, si minus, gratissimum etiam feceris, si probabilioribus rationibus efficies, ut a mea sententia deducar, ut enim ea mihi semper voluntas extitit, ut alios sine pertinacia resellerem, ita & reselli sine iracundia paratus sum. Nihil enim iniquius semper duxi, nihil ab omni pietate magis abhorrens, quam veritatem occultare. Sed de his satis multa diximus, jam ad alia transeamus. Nam quod secundo loco diluendum est, quod auctoritatem tuam videtur, nescio quomodo offendere, meumq; in te animum in suspensionem adducere, est id, quod in fine capitis decimi, secundo libro nostri opusculi de Chamaleone albo a te depicto diximus, ubi tuam 40
picturam minus veram esse asseruimus, ac facta comparatione inter tuam & Fuchsi, hanc ut rectiorem (quam & suam etiam ex toto non acceptavimus) admittendam censuimus: hac nimirum ratione, adducti, quod radículas illas tenues, quae crasse radici connectuntur, non exprimas, sed statim crassiori radici echinatum capitulum, in quo & semen, & flores continentur, apposueris, Dioscoridis descriptionem magis (ut verba etiam mea referam) quam plantam ipsam integram sorte contemplatus. Ex quibus sane verbis colligere aliquis posset, te a me reprehendi, quasi fictitias plantas, ac nusquam tibi visas effingas, easque tanquam a veris vivisque extractas, posteritati exhibeas, atque ita legentibus imponas. In qua quidem re multum mihi laborandum non est, ut hanc de me suspensionem dimoveam. Quando id ipsum ego (si mihi contingeret depingendum plantarum provinciam suscipere) facere non dubitarem, neque propterea probro, aut impudentiam mihi versum iri existimarem, dummodo non integras plantas (hoc enim, ut difficilimum, ita & temerarium iudico) sed 50
partem aliquam ipsarum, quam summa etiam diligentia adhibita, habere mihi non liceret, adungerem. Quod etiam audacius prosequeretur in his, quae semel, vel saepius antea a me visa fuerint. Nam si statim ob antiquitatem mutilatis, ex alieno marmore, vel nasum, vel aures, vel aliud membrum adungere licet, quo pulchrior universa facies spectetur, tamen si incerti sumus, an veram illius membri effigiem fuerimus assecuti. Cur etiam depictis plantis aliquid addere non liceat, quod vel viderimus, sed nunc ejus partem facultas nobis non sit: vel non viderimus, ducetamen Dioscoridis descriptione accommodemus, dummodo clariorem ita ejus cognitionem forte speremus? Neminem enim, vel minimum in herbarum indagatione versatum, latere arbitror, non posse omnes plantas in una tantum regione haberi, sed necesse esse, ut à remotissimis partibus bona pars earum transmittatur. Atque cum, qui universam stirpem picturam ostendere aggrediat, oportere, ut arescentium multarum ut cunque potest, picturam exhibeat. Transmittuntur autem, vel non integra, vel non expansa, vel 60
non exalta jam ipsarum etate, ut quandoque sine floribus, aut fructibus accipiantur, vel integra quidem, atque absolute transmissa casu aliquo confringantur, separanturque ita partes, ut quo pacto radix cum caule connectatur, vel flos semenve cum caule, aut ramulis, tandemque folia cum universa planta cohereant, satis recte assequi non liceat, ut taceam variari omnium partium plantae colorem, odorem, saporem, substantiam, & quod caput est, formam. Quod quidem nonnullis exemplis demonstrarem, nisi id ipsum, & tibi notissimum esse cognoscerem, & uberrime in meo libello transsegissem. In his rerum angustiis moribundas exicatasq; plantas, atque aliquam ejusmodi transmutationem possidentes, si, ut jacent, depingeremus, cum Dioscoridis descriptione non convenirent, atque ita, ut falsa à quovis rejicerentur. Si nullo pacto illas depingendas esse existimarem, vix paucarum effigies dare possemus. Consilium igitur est, ut considerato arescentis plantae defectu, ac memo-

Trichomane.

Notanda Dioscoridis in folio. rum divisura Phra.

Similitudo Lonchitis cu Aspleno.

De Chamaleone albo.

Plantae partes ut adpingenda.

memoria repetentes ejus imaginem, si contingat illam virentem aliquando vidisse, id addamus, quod ariditate injuria abstulit. Quod si quando accidat, ut quod addendum est, minus rectè assequamur, non propterea damnari debemus, cum id in paucis admodum evenire possit. Hoc ita verum est, ut a te ipso effectum esse, puto, negaturus non sis, nec si neges, facile id tibi concedatur. Fateri enim multas plantas a multis tibi missas esse, quæ viva virentesq; ex longinquis partibus ad te minime pervenire potuerunt, in quarum nonnullis, nisi nescio quid accommodasses, ne cogitatione quidem quisquam assequi posset, vere a te efformari potuisse. Nam Lycii ramulus ex Dalmatia tibi allatus est. Baccarus Roma & Arimino. Horminum sativum, & alia complures Pisis. Hemionitis Paravis, atq; ex aliis exteris nationibus, haud sanè pauca. Jam verò si virentium absolutam formam arescentes plantæ servarent, nunquam profectò Pistachii serrata folia depinxisses in Latinis tuis commentariis, si illius cum pingeretur virentis copia tibi suppeditaretur. Nam cum tandem virentem eam vidisti, iterum illam in Italico sermone, scriptis commentariis sine ullis in ambitu dentibus, verius expressisti. Mutasti etiam Apii, quæ & Ichas dicitur effigiem, in iisdem vulgari sermone conscriptis libris, quia quam Vene-
 20 tiis ad te Nicolaus à sancto Michaelis miserat, (ut credere par est) assequi minus probe ob mutatam ariditate faciem potuisti. Atq; ut nonnulla etiam ex aliis persequar, cum Trifolium Asphaltitem pingis, quod non animadvertat, plantam tibi aliqui notissimam, integram tum ad manus esse non potuisse, cum nec ramulos, nec flores in ipsa exprimas? idemq; de floribus Brassicae marinae, Sisymbrii aquatici, Aloes, aliarumq; nonnullarum stirpium partibus, quæ in tuis picturis desiderantur, asserere licet. Jam igitur ad rem ipsam accedentes considerent quæso hi, qui me temeritatis nota aspergunt, quantum ponderis habeant verba à me de Chamaleone al-
 30 bo scripta, non enim vereor, quin totum equi boniq; faciendum esse existiment. Scripsimus nos eo in loco potuisse a te erratum in pictura committi ob plantæ vivæ penuriam, nonne in his verbis cum errore ejus excusationem apposuimus? Quæ excusatio, si à quoquam non admittatur, potius pertinacia fiet, quam veritate. Quod autem me in suspicionem adduxit, ut crederem non extitisse tibi vivæ plantæ copiam, cum illam depingendam tradidisti, fuit non solum pictura, quæ cum his, quæ sapissime nos collegimus, non convenit, verum etiam, quia tuis in commentariis scribis quidem, ubi nigri Chamaleonis, quem putabas, ubertas proveniat, sed ubi album videris, non apponis. Unde non ab re conjici quoquo modo poterat, non licuisse tibi in his locis, quæ loca pene-
 40 trasti, nascentem vivamq; hanc plantam videre, sed aliunde transmissam. At fieri potest, ut quandoq; rariæ sola, quandoq; folia sola cum capitulo ad te mitterentur, vel si integra quidem missa esset, casu aliquo separata partes ad te pervenirent, quam cum pingere velles à Dioscoridis delineatione adjutus, eam ita, ut jacet, typis excusseris. Id si ita contigisset, quis nisi stulta semper meditans tuam solertiam damnabit? Quod si vere ita ac-
 50 cusari debuerit, jam me ipsum primum reprehendant homines, qui in ea sententia, non solum tunc eram, sed adhuc permaneo. Tibi vero nulla sit injuria ab eo, qui id, quod scripsit injuriosum esse non noverat, cuiusq; animus in tuis laudibus celebrandis, ex aliis rebus tibi notis perspectusq; abunde est. Omnes enim decipimur specie recti, quare non verba, sed mens asstimanda est. Neq; verò nunc iterum ita album Chamaleonem nostrum extollimus, ut tuam picturam omnino falsam judicemus, quando nihil vetat, quin climatis aut soli varietate, ita proveniat, ut à te depingitur, quod non solum credimus, sed multis exemplis in nostro opusculo comprobavimus. Nam cum tuam picturam veram non esse diximus, cum his illum comparabamus, quas nos pluribus locis effodimus. Atq; huc spectabant ea verba, quæ habent, Dioscoridis descriptionem magis quam plantam integram forte contemplantur. Quæ verba etiam, cum dubitanter, nec certo proferantur, satis indicant me illud non affirmasse, sed liberum lectori reliquisse credendum, fieri posse, ut planta illa, ita inveniat, ut à te depingitur. Quod quidem si explicare pro-
 60 tulissem, jam nulla hac in re caderet ambiguitas. At quis omnia ita minutatim consideret, quin in ea, quæ nolit, nunquam incidat? Videor enim mihi hoc loco pro me posse Horatianum illud adducere,

Verum opere in longo facile est obrepere somnum.

SED hæc mea culpa, eo magis toleranda est, quod in ea commoror urbe, quæ ut cæteris omnibus fortune dotibus, alias fere omnes superat, ita bonarum artium professoribus destituitur, præsertimq; in hanc de simplicibus cognitionem, ita nemo est, qui operam dederit, aut dare cogitet, ut vix unum, aut alterum invenias, qui paucarum plantarum cognitionem teneat. Quamobrem neminem habere potuimus, cui opus nostrum inspiciendum, atq; judicandum traderemus, sed me ipsum mei laboris, & autorem, & judicem esse oportuit, quo quid potuit esse infelicius? Scis enim sua quæq; Philautia ita decipi, ut non raro circumspectos quoq; homines,
 70 atq; aliqui temperatissimos, cæcos reddat, & in graves errores conjiciat. Sed cum unus mihi esset Joan. Vincentius Pinellus, in quo omnis mihi spes erat, & à quo non modo certam atq; integram de meo libello sententiam expectabam, sed etiam stabilem, & sine ulla assentandi, calumniandive suspitione integram, operis mei adversa fortuna non respondit. Vix enim extremam manum operi imposueram, cum vir ille Patavium studiorum causa, profectus est. Itaq; inopi consilii manu scriptum exemplar, Vincentio Valgrisi misi, ea tamen lege ut non prius typis committeretur, quam à Gabriele Fallopio universus perlegeretur. Non enim verebar, quin is pro sua in me benevolentia laborem hunc & libentissime susciperet, & quicquid in eo minus coherens esset, quod vel ad res ipsas vel ad aliquorum auctoritatem tuendam pertineret, accommodaret, ac corrigeret. Sed nescio quo fato factum est, ut operis ipsius dimidia fere pars excusa esset, quam ei illud inspicere licuerit. Remisit igitur opus ex toto excudendum, meis literis, quas de eare ad illum conscripseram ita, ut scis, respondens. Hos ego omnes
 80 præclarissimos viros, ejus rei testes optimos, gravissimosq; volo & do. Quæ cum fortuna, quam vitare nemo potest, gubernaverit, ipsa etiam horum omnium malorum culpam susineat, me verò in tot incommodis satis superq; consolatur recta mea voluntas, meorumq; officiorum conscientia. Hæc sunt, præstantissime vir, quæ mihi à Pisano ostensa sunt, tuam dignitatem offendere, quibus quidem ita satisfactum puto, ut omnem criminis suspicionem me expurgasse existimem. Nam etsi pauca quadam alia, ab aliis animadversa sunt, tamen leviora quidem sunt, quam ut de eis aliqua sit habenda ratio. Quanquam confido fieri nullo modo potuisse, ut tu eadem, quæ cæteri, de me suspicaveris: cum nec dissidam, ut si quid verè à me commissum esset, à te pro tua humanitate, & liberationem culpe, & errati veniam impetrare. Quare hæc non tam tibi, quam aliis, qui hæc commentari pos-
 90 sent scribuntur. Peròq; abs te, ut non de his solum, in quibus aliqua tui mentio sit, sed si quæ erunt alia (erunt autem certe plurima) quæ à veritate ipsa abhorretere tibi videbuntur, ad me per privatas literas, amice (ut soles omnia)

In Pistachii error.

Apii figura mutata.

Trifolium Asphaltite.

Joannes Vincentius Pinellus.

- ita abjecerim: breviter aliquam tandem mihi causam erroris fuisse fingamus. Tuum ne erat, lapsum ita levem amici, tam severo, ac ad secutura secula duraturo supplicio vindicare? meam fidem omnibus suspectam reddere in te tam levi? Quid faceres, si quod gravius tibi crimen meum notum esset, id taceres scilicet. Ceterum vellem tantum te opera non posuisse in investigandis novis interpretationibus illis, à sono verborum tuorum plane alienis. Aus hac verba, **NESCIO QUO PACTO**, dicti corrigere asperitatem. Ego vero id non intelligo: imo illa addita augere atrocitatem dixerim. Falso dixit Matthiolus transmissam sibi hanc à Luca Ghino plantam esse, tolerabile est: dum addis nescio quo pacto, suspicionem auges, vafrone id consilio à levitate aliqua fecerim, subdubitans. Nam si fortuito casu, aut errore aliquo id factum à me esse dicere voluisses, non addendum erat, nescio quo pacto, sed nescio quo casu: hac excusantis vox est, illa fidem in dubium vocantis. Itaque cum consentiens multorum tui sermonis interpretatio confirmat, tum aliena ista tua expositio non excusat, macula meam innocentiam non levi abs te respersam esse. Quid vero si gravissimis testimoniis convicero, Lucam Ghinum eam mihi plantam pro vera Lonchitide transmississe? si ejus manum & tibi, & aliis monstravero? Monstravi certe jam multis, qui mecum sunt, doctissimis pariter & integerrimis viris, quibus ego adversum te testibus utor. Sed multorum loco sit clarissimus vir, Ulysses Aldrovandus Bononiensis Medicus, qui recens ad me datis literis, se meminisse affirmat, quod anno quinquagesimo secundo, missa mihi à Ghino hac herba sit cum inscriptione, Lonchitis altera. Hunc rejicere testem non potes, Ghini manum notissimam tibi ex diuturna cum illo viro consuetudine, negare nequis. Quid autem ergo, an non poenitet jam in me tam imprudenter, & prater omne meritum meum collatae suspicionis? Dices, memini quidem ad te missam plantam anno quinquagesimo primo cum hoc titulo, Hanc esse Lonchitidem asperam aliqui sentiunt, anno autem sequenti eandem missam esse inscriptione mutata, ignoravi. Tu ergo quod factum esse ignorabas, id nunquam fieri potuisse, statuisti. Hoc, tam levi fundamento nixus, effudisti in amicum, quæ in hostem non competebant, nisi certius explorasses omnia, quæ propter ista diceres. Non ideo sum, mi Maranta, qui honoris & existimationis mea rationem non habeam, proinde non est quod censeas, scripsisse Lonchitidem hanc me Ghini liberalitate esse consequutum prater illius sententiam, ut quam primum vir ille candidissimus meos inspexisset commentarios, mendacii & temeritatis me accusaret. Sed hac non persequar ulterius. Non enim dubito, quin ipse erratum tuum jam agnoscas, quod sive imprudentia, si ne negligentia, obrepente nimirum in opere tam longo, somno, ut dici solet, commissum fuit erratum, certe fuit tibi invidiosum, in me longe gravissimum. Verum quicquid hoc est, quod offendere animum meum ulla ratione potuit, id totum dono amicitia nostra, dono Cortuso, dono Aldrovando, viris clarissimis, & utriusque nostrum amantissimis, dono Pinello nobilissimo aliis homini, sed dedicatione commentarii tui longe nobiliori facto, ac cupidissimis, ut petis redeo ad perspectum illum tibi, sæpe, mihi dulcem amorem tui, qui & si nunquam è pectore meo extinctus est, refrigerat tamen aliquantulum tristitia ob suspicionem mutati erga me animi tui. Venio nunc ad alteram epistolæ tuæ partem, quæ prior erat ordine, in qua offensum me esse arbitraris, quod opinione à me aliquot in locis dissentias. Ego vero tantum abest, ut id egre feram, ut magnopere gratuler tibi, quod ita fideliter in medium labores, veritatemque, in profundo puteo, ut quidam Philosophus dicebat, reconditam tuis vigilis, & lucubrationibus eruendam & proferendam suscepisti. In quo quidem labore socium te datum esse mihi vehementer gaudeo, integrum viribus, florentem ætate, ingenio summo, judicio peracri præditum, laborum patientissimum, insuper ac sedulum lectorem, ita candidum interpretem totius antiquitatis. Sicut autem in omni opere conjunctis duorum vel plurium conatibus peragendo, hoc requiritur, ut juvent mutuo alii alius, exhortentur inter se, imbecilli succurrat robustior, fesso recentior, & in summa non tam quod gloriosum cuique factu, quam quod ad finem necessarium est, eligant: ita nos quoque veritatem unam nobis propositam singulari contentione uterque inquiramus: ejus non refert, quantum tu, quantum ego invenerimus, aut utrius inventa splendidiora sint, sed hoc necesse est, ut quæ, suo loco fideliter laborantes juvemus alter alterum suggerendo, monendo, exhortando, erratis etiam nonnunquam comiter ostendendis. Ita enim fiet, ut collatis fideliter operis, utilitate privata possit habita, existimatione etiam aliqua ex parte, præ bono publico nonnunquam neglecta, veritas tandem clariore specie hominibus elucescat. Quod ubi per nos factum erit, tum demum officio nostro persancti probe uterque fuerimus, tum abunde præmiorum receperimus, etiam si nulla alia commoda consequantur. Itaque nequaquam succenseo tibi, sed potius gratias quam maximas ago, eo sane nomine, quod quæ reperisset te tuo studio, & labore utilia existimas, ea in medium proferis, & me ubi à veritate semita deflectere putas, meliorum admonendum censes. Quæ quidem ego sequar etiam, ubi talia mihi esse persuafero, qualia tibi videntur. Sin autem vel sponte, vel tuis monitis excitatus, veriora aliqua erucro, ea tu quoque boni consules, opinor. Atque hæc de officio utriusque nostrum, hoc loco dicta sint. Nunc reliquum est, quod officii mei est, id re etiam, & opere, ut exequar. Placet enim pauca quædam huic sermoni attexere. Et primum quidem, quæ ad defensionem eorum pertinent, quæ à me antea observata in doctissimo commentario tuo minus firmis argumentis oppugnasti, deinde etiam observationes quasdam in eundem commentarium meas, amanter & candide recensebo. Utrunque enim horum ad veritatis enucleationem plurimum interesse videtur. Auspicabor autem à Lonchitidis consideratione, quam me nec pinxisse nec nosse veram arbitraris. Ego vero meam, quam proxime ad descriptionem Dioscoridis accedere existimo. Libet autem prius verba illius auctoris excutere. Id ut recte fiat, mea mihi, cum tua interpretatione conferenda est adhibendusque

Gravissimis testimoniis eorum probare posse Matthiolum, Lonchitidem asperam à Luca Ghino sibi fuisse missam,

Maranta laus,

Responsio ad Marantæ argumenta in Aspera Lonchitide.

Lib. 3. c. 145.

Dioscoridis

Lonchiti-
dis & Asple-
ni similitu-
do ex Dio-
scorid.

Dioscoridis verbis intelligi, asperiora, majora, multoq; magis divisa, necessario voluit, vel asperitatem, vel magnitudinem, vel multifidam sectionem, substantiam dici, aut certe omnia simul. Hac ille dicebat. Sed non puto, tam excordem te esse, ut amicus ille meus recte divinarit. Itaq; fateor, me istum locum non intelli- gere, quippe cum eum saltem sermonem didicerim, quo alii utuntur, praesertim hujusce facultatis professores, nescio divinare, quid ista nova ratio sermonis sibi velit. Dicam ergo ingenue, quam similitudinem in mea Lon- chitide & Aspleno deprehendam, nec ut ar dubius, aut obscurus vocabulus, sed quatuor, & quis intelligat. Video in Aspleno folium multis segmentis divisum, idem video in Lonchitide mea. Dein in Aspleno ejusmodi segmen- torum situs est, quae una ex parte media ubi vena cohaerent segmenta, illis praefixe ex adverso non opponuntur, quatin altera parte sita sunt, sed aliquanto aut altius, aut humiliter desinunt, nec eodem in puncto dextra & sinistra intersectiones venam per medium folium transeuntem contingunt. Talis fere etiam segmentorum, qui- bus folium Lonchitidis mea distinguitur, ratio est. An ne tu hanc aliquam similitudinem putas? putabis certe, si modo praecepta illa, quae in secundo volumine tuo tradidisti, ipse tueri voles: quo quidem in loco ad Aspleni & Filicula foliorum similitudinem esse ducis, ut eodem modo secta utraq; esse appareant. Nec repetam omnia, quatuor ad confirmandam sententiam hanc eruditissime, eo in loco disputasti: Potius aliam adhuc, praeter hanc similitudinem ostendam. Tam Asplenium, quam Lonchitis mea, aversa parte asperis quibusdam punctis, folio adnatus laevescit. Rara planta sunt, quae tam insignibus notis comparari possunt. Jam tu voces similitudinem hanc, vel substantiam, vel figuram vel scindapsi, vel quocunq; alio nomine, mihi satis est similia folia esse. Nec enim aliud vult Dioscorides. Dices, at non per omnia similia sunt. Hic nihil respondeo. Nam liber ille tuus profecto doctissimus, qui secundus est ordine, patronus mea causa erit. Idem multis rationibus descendet, sufficere ad simi- litudinem, ut in aliquibus saltem congruant planta. Sequitur in Dioscoridi textu: Sed asperiora majoraq; 20 Majora esse in mea Lonchitide nemini dubium est, asperiora quod sint negas. De eo vero mihi rationi- bus tecum disputandum non est, sed provocandum utriq; nostrum ad sensum tactus. Is hujus controversia judex esto. Appingendam curavi propterea utriusq; plantae imaginem, ut cognita ex pictura earum fac- cie & comparatus sibi vivis plantis rei herbariae studiosi digitum tangant, de quo nos, tam multis verbis discepta- mus. Hi omnes Lonchitim meam Asperam esse deprehendent. Nullam, inquit, est videre asperitatem. Vi- sus sensum hic ut adhibeas, opus non est, tangas oportet, & sic asperitatem percipies, manibus non oculis. Illa enim, de asperitate, & laevitate, hi de coloribus judicant, quamquam mea Lonchitis ita aspera est, ut oculis etiam id intueri liceat. Sed quis sit, ut tu mox oblitus scabram dicas, cum asperam neges? Quid est scabrum, quam vehementer asperum & inaequale in superficie. Vide quo absurditatis delabaris, quod laeve esse antea assevera- sti, id nunc scabrum, hoc est insigniter asperum sateri cogeris. Laeve est, quod cum tangitur digitum minime 30 retinet, sed lubrica superficie illum hinc inde oberrare circa offensionem permittit. Asperum vero digitum re- moratur superficiei inaequalitate offensus: idq; cum immodice facit, scabrum dicitur. Quo pacto ergo idem & laeve & scabrum esse potest? Nec vero in eo tibi mens satis constitit, quod inquit, hirsutum scabrumve, quasi rem eandem hac duo significant. Hirsutum vocatur quod villosum est, scabrum aliud est. Si scabram meam Lonchitidem esse dicas, ajo esse: sin hirsutam, nego, non enim pilos vel villos ullos habet. Pergis, non sit recte comparatio, nisi in asperitatibus ejusdem naturae & speciei. Hic videtur mihi sepiam piscem imitatus, qui cum elabi aliter piscatoribus non potest, atramentum effundit, obscuratq; hac fraude aquis elabatur. Cum enim hic comprehensum te iri intellexisses, obsudisti nobis caliginem obscuris verbis, quae nemo intelligit. Quid vocas tu asperitates ejusdem naturae & speciei? Certe, asperitas accidens est superficiei quorumcunque corpo- rum, & ideo omnia corpora superficiem habentia externam, conferri inter se quoad asperitatem & laevitatem 40 possunt. Dicimus ferrum aliquod asperius ligno. Cutem hominis dicimus asperam, sed minus asperam, quam sit lima aut pumex. Vides itaque asperitatem, in quocunque subjecto sit, posse cum cujuscunque corporis aspe- ritate secundum magis & minus conferri. Ideo verba sunt ista tantum, nihil significantia, quae hic de aspe- ritate ejusdem naturae & speciei affers. Nam asperitates omnes ejusdem generis sunt, & non differunt nisi se- cundum magis & minus, & quavis potest cum quavis conferri. Jam vero quam bene dixeris hirsutum eo- dem modo cum aspero, tu videris. Certe hirsutum est, qui quid villos extrema superficie habet, qui villi si mol- les sint, laevem superficiem reddunt, si duriusculi, asperam. Hirsutum ergo, vel asperum, vel laeve esse potest. Laevitatis exemplum habes apud Plinium de sylvestri Brassica scribentem, libro vigesimo secundo, capite nono. Inquit enim, Folia habet bina, parva, rotunda, plantis oleris similior, candidior sativa, & hirsutior. Hir- sutum ergo vel asperum, vel laeve esse potest. Proinde perperam ais idem esse hirsutum & asperum. Quod 50 Δαρία & ἄσπερος non idem significant MAAAON EXXI ΣΜΕΝΑ, ut inter- pretan- dum.

verbis congruere. Venio nunc ad eum locum ubi quæ ego segmenta voco folii, ea tu separata folia esse affirmas:

quem locum non dubito quin invito & adversante calamo scripseris, meliorum argumentorum inopia coactus. Hic enim totus tantum abest, ut pro te faciat, ut etiam magnopere obsit. Scribis inibi in Aspleno divisiones ad medium usque pediculum non pertinere. Id ego diligenter consideravi à te admonitus, ac aliter se habere depre-

Aspleni fo-
liorum di-
visio.

hendi. Bina enim segmenta è directo posita neutiquam contingunt sese intercedente divisura usque ad ipsum pe-

diculum. Sed demum contingere sive coherere, & untri invicem, an tu propterea folium sectione usque in pedi-

culum medium desinente, dividi posse negabis? aut quod si dividatur, id folium esse noles? Dices posse quidem

hoc fieri, sed ubi fiat, ejusmodi divisiones vulgato loquendi more folia dici non debere. Id confirmas exemplo Tri-

chomanis, in quo propter divisionum profunditatem hoc totum, quod à radice assurgit, ob longam folium non di-

citur. Sed parvi illi lenticuli instar orbiculi, qui nigro colore splendentibus colliculis utrinque adherent. Miror, me

hercule, superstitionem hanc tuam in re tam levi, qui vocabulis, quæ sæpe alio atq; alio modo, prout res nata tulere,

usurpamus, ita alligas homines, ut eos vocabulis sese accommodare, non autem illa ad usum suum flectere oport-

eat. Quasote si vel Dioscorides, vel quivis alius, Trichomanes alius verbis describens, totum quod separatum

à terra enascitur, folium diceret, illa autem lentis instar foliola, segmenta, num tu hoc magnum crimen esse pu-

tares? Aut si quis eo modo & in loco segmentum in aliqua planta, folii nomine, perspicuitatis gratia appelleret,

aut è contra quod folium sit, segmentum dicat, an tu hunc scelus magnum commisisse arbitraberis? Sunt qua-

dam in herbis de quibus dubium est, divisiones ne an folia sint, num eas propterea indescriptas relinquemus? ve-

rentes ne his fortasse vocabulis magno piaculo abutamur. Dolendum certe, si verum vocabula nos adeo adstrin-

gunt, ut rebus ipsis accommodata vocabula invenire non liceat, cum contrarium potius fieri debeat, ut vocabula re-

bus, non res vocabulis accommodentur. Quæris cur in Trichomane folia appellabimus: eademque, non folia, sed

foliorum scissionem in Lonchitide? Dicam, quia commodum erat Dioscoridi illic folii vocabulo uti, hic scissionis.

Licet enim auctori cuius vocabulis ad rem præsentem aptis ad dilucidiorum explicationem, non uti tantum, sed

etiam si res ita ferat abuti, cum liquido conslet rerum longe majorem varietatem esse quam verborum, quibus illa

explicantur. Nam quoniam in Trichomane ei pediculus, qui lenticulas illas sustinet, describendus peculiariter

erat ob insignem illum ex nigro colore splendorem, eum appellavit perspicuitatis gratia ramum tenuem. Sic

enim se melius putabat intellectum iri, quam si venam diceret, aut nervum, aut pediculum. Ergo oportuit po-

stula, ut, quæ illi adhaerent, folia diceret. Lonchitidem autem descripturus cum similem aliquo modo plan-

tam reperisset, cum qua illam conferret, oportuit etiam hoc in Lonchitide folium dicere, quod in illa Folium vo-

caverat. Nec conveniebat, quod ob profundiorum incisionem à similitudine discederet, ut obscuritatem asser-

ret Lectori. Discederet autem tota oratione à similitudine, si id folium vocaret in Lonchitide, quod in Aspleno

esset scissio. Ideo necessarium erat folii nomen utrobique retinere, & comparisonem postea corrigere, additis

verbis, magis incisa satis erat. Placuit antiquis proprietates, superstitio non placuit. Satis erat illis sic uti no-

minibus, ut animi sensa aliis patefacerent. Si qui verba tantum ad amussim examinata captarent, rerum

interea negligentissimi, eos indignos suis libris censuerunt. Incertum est, utrum & in Trichomanis descriptio-

Cur aliter
in Tricho-
mane aliter
in Lonchi-
tide folia
appellave-
rit Diosc.

Lonchitis
aspera Ma-
rantæ exa-
minatio.

Secundum
substanti-
am conferri
plantas in-
auditum est.

At relinquam hac ego arma, qua antea jam semel tanquam obtusa & inepta in te improbari. Concedam tibi folium esse, quod tu sic vocas, & eodem id nomine appellabo. Quæro jam abs te, an illud majus sit folio Aspleni? Hic taces & aliud præter rem ac institutum assers. An plantam tuam majorem esse Aspleno. Quid facis Maranta? folium tibi cum folio in magnitudine comparandum est, non planta cum planta. Quamquam nescio etiam si planta cum planta conferretur, an tua major Aspleno esset. Jam uideret *δοξασίνα* interpreteris utro placuerit modo, neutro ostendes, Folia tua magis incisa esse, quam in Scolopendrio. Nam crebriore divisura secta esse non possunt, quia, ut tu dicis in Epistola, crebrior divisio majus subiectum requirit. Tua autem Lonchitidis folium ad oculum multo minus est, ut antea dixi, folio Aspleni. Caterum profundiori divisura minime secta esse, tacitus ipse fateris, & sensus idem comprobant. Nihil nunc restat præter acumen illud in extremitate folii, cujus tamen non meminit Dioscorides, quo te tuearis, atq; illud in mea Lonchitide multo acutius est. Tuum ergo illud obtusum acumen merebitur nomen lanceolæ, meum acutius non merebitur? iniquum id

LONCHITIS MATTHIOLI.

LONCHITIS MARANTÆ.



Aspleni folium divi-
sum cultro
quam ma-
xime Lon-
chitidis re-
ferent.

Albi Cha-
maleonis
examina-
tio.

certè. Imponam jam finem hisce de Lonchitide disputationibus. Satis enim multis argumentis ostendi, meam plantam esse similem folio Aspleni, hæc tamen majora & asperiora, ac magis divisa. Contrariam demonstra- vi nec folio esse simili, nec majore, nec asperiore, nec magis diviso. Indiget æquus lector, utra sit vera Lonchitis aspera, non modo ex prædictis, sed ex antiquarum plantarum imaginibus, quas hic appingi curavimus una cum Aspleno, cui dissectum cultello folium in sinistro latere addidimus, ut palam magis inuentibus sit, quam bello 50 id Lonchitidem nostram referat, ubi profundius scindatur. Atqui non eam ob causam utriusq; Lonchitidis imaginem hic appingere placuit, quod ex earum inspectione vel tactu quispiam, de earum asperitate, villositateve judicare debeat, sed ut ex earum facie, quilibet æquus iudex, sibi vivas conquirere possit, qui ante eas non viderit, & ex illis rectum ferre iudicium. Sed hæcenus de his, qua tamen non sustinenda mea opinionis gratia, sed indaganda veritatis ad te scribo: pro qua non solum, ut tu ipse tua in Epistola inquis, debet quispiam nihil fictum, nihil simulatum proponere, sed (ut ego puto) ad mortem uig. certare: quin etiam cuius amicitia, consanguinitati, ceterisq; animi affectibus præponere. Veritate nihil pulchrius, nihil amabilius: Cujus causa etiam colaphis, & calcibus cadi non indecorum sit: nedum verborum contumeliis incesse. Thesauro hoc nihil nobilius præstabiliusq; divina providentia mortalibus concessit. Ac Sole potius nobis & igne, & aqua caven- dum esset, quam veritate. Sed jam ad album Chamaleonem me conféro, in quo ne mihi injuriam fecisse videar- 60 ris, ut quidam fatentur, te ipsum ac etiam me pluribus excusis argumentis: quorum si meminisses, dum ea, qua in Commentariis illis tuis contra Chamaleonem meum scriberes, facile calamum tantisper suspendisses, quousq; dulciora succurrissent argumenta, quibus mecum ageres. Quinetiam non fuisset tibi opus tam multis nunc tuam declarare sententiam, si ea in memoriam revocasses, qua scriperas libro & capite primo in Me- thodi, ubi plantam rem variam ac multiplicem esse fateris, & unam ac eandem plantam pro locorum ac regio- num natura, atq; etiam alias ob causas fortasse nobis ignotas, variis quidem oriri modis, & hanc tantum ob cau- sam (ut paulo ante dixeris) certam Methodum in describendis plantis invenire non potuisse Theophrastum. Nec etiam operæ precium fuisset, ut hic eadem utereris excusatione, qua antea etiam usus es, cum diceras, non verba scribentis, sed mentem esse astimandam. Sed nescio, quo pacto hac vera esse intelligas, cum nihil sit, quod magis

magis internam animi voluntatem palam facit, quam verba. Facile aliorum verba scriptaq; exploramus ac intelligimus, sed qui eorundem internas animi voluntates agnoscat, prater Deum habeo neminem. Ideoq;

ASPLENUM.



infirma satis apud me hac tua excusatio est, utinam apud alios valere possit. Nasceitur planta, à qua imago illa mea delineata est, in Japidia & Istria montibus, ubi nunquam plantam, albo Chamaleoni nostro congenerem videre licuit, quæ plures, quam unum Echinum ipsumq; magnum, proferret. Oritur è summa statim radice, è quodam singulari ipsius processu, quod in imagine nostra videri nequit, ob folia quæ anteriori parte ad radicem inversa, ipsum operiunt. Id attestari facile poterit Georgius Liberalis Piclor, qui ex integra & viva planta, non ex mutila (ut tu suspicari videris) meam delineavit imaginem. Utinam Piclor alter Venetus, cui rursus & Pistacii ramusculum delineandum dederam, tam sedulus fidelisq; atq; Georgius fuisset. Ille enim Goritia Venetias profecturus susceptas à me plantas in itinere amisit. Quapropter veritus, ne ipsius agere ferrem negligentiam, si id rescivissem, revocata in memoriam harum plantarum facie, illas memoriter delineavit, & excidendas curavit, non sine magna animi mei indignatione. Sed ut vedeam unde diverteram, ego quidem, etsi Chamaleonem album, tot in radice summitate processus habentem, nunquam conspexerim, tuam tamen baudquaquam impugnabo si dem. Quippe quod quemadmodum in corporibus nostris videmus, non parum sepius variare naturam in partium positione, præsertimq; vasorum ac nervorum, adeo ut facile reperiamus hunc plura habere vasa arteriasve, illum verò pauciora rarioraq;, eodem sanè modo quam plurimas haberi plantas non ambigo, quæ etsi uni tantum generi assignentur, variant tamen quandoq; figura, quandoq; colore, nonnunquam partium numero & quantitate. Verum non ob id negaverim plures (ut tu retepitas) me dedisse plantarum imagines, quæ è siccis plantis ad me transmissis delineari curaverim, sed affirmaverim etiam, quod aqua egelida maceratione contractas à siccitate rugas adeo in iis extenderim, ut hac ratione rediviva & parum admodum à viridibus distantes viderentur. Possem ego par pari referre, si dicerem album Chamaleonem tuum, Dioscoridis Chamaleonem non esse, quod illi hac planta, è media radice sine caule suum proferat echinum, tua vero à radice summitate plures emittat processus, quorum singuli singulum echinatum capitulum proferant. Sed cum plures esse causas, non ignorem, quibus tanta fiat in plantis varietas, ab hac impugnatione lubens abstineo. Tuum autem iudicium, quod illa fuchsii imago rectius, quam nostra Dioscoridis Chamaleonem album exprimat, parum sanè moror, cum æquos iudices sciam non defuturos, qui sententiam hanc tuam iudicabunt. Sed hac omnia tibi quam libentissime condono, ut nostra conservetur amicitia. Caterum cum Chamaleo albus nigrum mihi in mentem revocarit, dicam ingenue quid de illo tuo sentiam. Sed antea recenselo, quæ contra meum habeas argumenta. Inquis itaq; libro secundo, capite septimo tuæ Methodi, ubi quandoq; pro regionum natura variari plantas scribis, me non parum in nigro Chamaleone aberrare, quippe qui, ut probarem alteram Carlinam nigrum esse Chamaleonem, non ob stare opinioni meæ dixerim, quod in Italia hæc Planta venenata non sit, ut ex Galeno esse deberet, ad regionem confugerim, ratus sanè quod quanquam fortasse in Græcia & Ponto niger Chamaleo, venenosus reperiat, fieri tamen posse, ut in Italia sit salutaris immutata natura, ut in Persæ arbore, Aro, minori Chelidonio & quibusdam aliis plantis, hac tantum de causa immutari nativæ proprietates non ignoramus. Ac ut non sine ratione hac dixisse videaris, sententiam hanc nostram acceptari posse aut, si non una hæc tantum notæ, sed etiam ceteræ consentirent, quarum cum nulla sit in nigro Chamaleone, quæ illum legitimum faciat: me tandem in errore versari concludis. Sed ut hoc ita magis probes, inquis (nescio quomodo) quod nec folia, nec caulis, nec radix, nec sapor, nec magnitudo, nec echinatum capitulum consentiunt, Carlinam alteram nigrum esse Chamaleonem. Sed quid facis Maranta? an non vides in altera Carlina folia scolimo minora, tenuiora, & rubro colore infecta? Canlem dodrantalem, vel paulo longiorem non consideras? Radicem exesam, subnigram exterius, interius sublavescentem non aspicias? Saporem non gustas? Miror sanè quod Clarissimus ille Ghinus præceptor tuus pro raphano mandati hæc radices cum acetariis sepius asserere solitus sit, & cetera adeo sensibus pateant, ut nihil sit, quod nigro non correspondeat Chamaleoni, præter echinatum capitulum, de quo etiam plura dici possint, audeas tu hiis omnibus contradicere. Ille accedit, quod hæc planta in campestribus siccis & clivosis tractibus (ut Dioscorides inquit) proveniat. Sed nolo pluribus meam causam defendere, ne videar contentiosè rem agere. Dicam tamen, quæ mihi nigri tui Chamaleonis plantam contemplantis, sese offerunt recusanda. Imprimis enim dum ejus umbellam examinandam mihi propono, eam quidem potius aculeatorum capitulorum globum, quæ improprie siliquas à te vocatas censeo, quam veram umbellam representare puto. Folia deinde rubro colore variata non sunt. In caule nulla apparet rubedinis notæ, nec manifesta radix accedinis tantillum respicit. Adde quod (ut Dioscorides inquit) exesa non sit, quin etiam nec caules digitali crassitudine videantur. Quos ita, ut hisce deficientibus notis, non ita facile consentiam hunc tuum Chamaleonem genuinum dici debere. Nec propterea meum adeo me probare velle scias, ut si alia mihi sese offerat plan-

Apri & Pistacii figuræ.

Naturæ id partium positione plurimum variare.

Chamaleonis nigri examina-tio.

Carlinæ alterius radices in acetariis.

Obiectio
de Oxya-
cantha di-
lucitur.

Amper-
lum.
Censura de
Lepidio &
Iberide ex-
cluditur.

Draba five
Arabis ca-
put Diofco-
ridi adulte-
rium.

Obiectio
in altera
Acacia di-
lucitur.

Aspalathus.

ta, quæ magis genuinum referat, quam meum & tuum, nolim veritati acquiescere: sed quod (ni fallor) plures fortasse sint in meo nota, quæ legitimo correspondent. Fateor quidem umbellam illam quamquam non explicatam addere tuo Chamaleoni nescio quid auctoritatis, si tamen cetera convenirent, nec essent, quæ adhuc in dubium vocari possint. Dico ibi sententiam meam pro iudicii mei ratione. Quid enim tam liberum esse debet, quam suum unicuique de re quacunque iudicium? Opinionum porro inter amicos dissensio aliqua aliquando est, voluntatum verò nunquam. Præter hæc cum non solum in prædictis me offensum à te plurimi judicent, nec de his mihi te excuses, ne fortasse si silerem, censerent si me eos fateri errores, de quibus modo clam, modo palam me argui: præterire nunc nequeo, & veritatis propalanda causa & nostra tuenda dignitatis, quominus de his aliquid hic etiam dicam. Sum itaque imprimis demiratus, quod in Oxyacantha me non parum aberrasse putes, quoniam pro Oxyacantha fruticem non arborem statuerim, quum tamen planta, quam ego notis omnibus ad stipulantibus Oxyacantham esse statui, arbor sit non frutex, ut in agro nostro Senensi & Tergestino, quinetiam in Japidia sylvis, in Bohemia, Moravia, Ungaria ac Germania videre quispiam potest. Namque hæc in locis frequentissima visuntur Oxyacantha arbores, quæ & ficus & oleas, & quandoque pyros, ac quercus proceritate & caudicis crassitudine superant. Id cum non ignorasset Clarissimus ille Lucas præceptor tuus, velletque probare contra sententiam meam (ut facile, si parumper memoriam refricabis, meminisse fortasse poteris) hanc arborem non esse Oxyacantham, sed aliam quandam à se inventam: hoc contra me habebat argumentum, nimirum, quod nostra Oxyacantha viderit plantas sylvestribus pyris longe majores, cum tamen Dioscoridis testimonio, minor Oxyacantha esse debeat. Quo fit ut nesciam quæ ratione tam insignem arborem fruticem feceris, præterea enim Theophrasto lib. 1. de plantarum historia ab radice, caudice multiplici, ramosumque se attollit, ut Rubus & Paliurus, id quod nisi rarissime in nostra videtur Oxyacantha. Quæ quamquam quibusdam in locis, ut ceteris sylvestribus arboribus pro soli & cæli natura evenire videmus, aliquando pumila videatur, plurimum tamen simplici caudice, ramosoque, & haud facile dissolubili spectatur: quæ propria (Theophrasti ipsius testimonio) arborum sunt nota. An qui dixerit, contra Dioscoridis sententiam, Lentiscum, Myricam, Ligustrum, Cornum, Salicem, Myrtum, quod frequentissime fruticosæ caudicibus, multiplici spectentur, ob id non esse arbores? cum tamen & Dioscoridi, & Theophrasto arbores sint, nec aliam ob causam fruticent quam cæli & soli natura. At tu cum fortasse aliquibus in locis Oxyacantham nostram fruticare spectaveris, eandem in universum arborem esse negas. Si verò latini, ut nos, Europam quandoque, peragraveris, ac Ungaria, Bohemia, & Germania sylvas, exploraveris, mihi quidem verendum non est, quin hæc sis revocaturus sententiam. Probarem nunc Amperlum meum genuinam esse Oxyacantham, nisi id antea satis superque præstitissem in meis in Dioscoridem Commentariis. Huic demum accedit tua de Lepidio & Iberide censura, quæ non parum clam me mordet. Damna enim eorum sententiam, qui duas hæc plantas unam tantum existimant, quique caput de Iberide tanquam supervacaneum è primo Dioscoridis libro rescandunt præcipiunt. Atque ut hæc non temere dixisse videaris, eos non ita libere hoc pronuntiaturus fuisse, affirmas, si quæ capite de Draba habentur, animadvertissent, cum hanc velit Dioscoridem solia habere Lepidium, sed molliora & candidiora. At cum nulla sit foliorum convenientia inter Iberim & Drabam, quod huic lata sint, illi verò angusta admodum & Nasturtii modo incisa, nulla prorsus dubitatione eos omnes, qui ita sentiunt, in magno versari errore existimas. Ceterum cum ego una cum illis in ea perpetuo sim sententia, quod apud Dioscoridem Iberis & Lepidium nihil inter se differant, & ea de causa Iberidis caput ex primo Dioscoridis libro rescandendum esse scripserim, non possum sanè prætermittere, quo minus sententiam meam, quam veram esse non ambigo, evidentissimè tuear rationibus. Quod autem Iberis & Lepidium una & eadem sit planta, testatur in primis Galen. decimo de Compositione med. per genera, ante & post Jamblicum illa carmina, quæ de Iberide scripsit Damocrates. Deinde hoc idem ante ipsum scriptum reliquit Archigenes & Hygieenus Hipparchus: quos postea secutus Paulus Aegineta, Lepidium scripsit aliquibus Iberida appellari. His accedit Dioscorid. auctoritas, qui Lepidium herbulam, non herbam esse scribit. Id quod manifeste palam facit, Lepidium foliis esse parvisculis ac gracilibus, non autem latis ac longis, ut in nostra visuntur Draba. Sed magis demiratus sum, quod tu, qui tam diligentem in Dioscoride examinando te præstitisti, non animadvertieris, Draba caput multis sanè argumentis esse Dioscoridi adulterinum. Nam si huiusce plantæ nomenclationem expendamus, illam quidem facile conjiciemus (ut Marcellus rectè animadvertit) nec Græcam esse, nec Latinam appellationem. Deinde cum nec apud Galenum, nec apud Oribasium, Paulum, Aetium, aliosque Græcos auctores quicquam de Arabi Drabave scriptum reperiat, hic facile conjici potest, Drabam Dioscoridi esse adulterinam. Adhuc & illud, rem sic se habere, maxime arguit, & ab aliquo Dioscoridi additam esse Drabam, quod bis in Græco exemplari manu scripto lib. 2. habetur, tuos statim post Thlaspi, tum etiam post Glastum ad libri calcem intrusa: sed isthic Arabis appellatur, & alias isthic de ipsa traditur etiam iisdem verbis, ut nec de nomine, nec de re satis constet, maxime cum apud nullum alium scriptorem, neque Draba, neque Arabis mentio fiat. Postremo si Draba, Arabis Dioscoridi legitima esset, cum ipse Lepidium tenuem pumilamque, statuat herbulam, persuadere quidem sibi quæquam haudquaquam crediderim, Draba Lepidii folia tribuisse Dioscoridem. Quo fit, ut rectè doctique sentiant, qui Iberidis caput ad primi libri calcem Dioscoridi accessorium putant. Porro ad ea quæ de secunda Acacia adversum meam habes sententiam, dicam ingenuè, quod tota plantæ ipsius facies pro seipsa pugnat. Nec mihi obstat, quod Neapoli viret & fructum ferat æstas. Etenim præter id quod pro cæli & soli natura una & eadem planta hic citius illic ferit fructum proferat, accedit Plinii auctoritas, quippe qui scribat lib. XXI. cap. XII. utriusque Acacia semen colligi Autumno, quod ante collectum nimio validius habeatur. Quæ verba si rectè perpendantur facile quispiam hic colligere poterit, ante Autumnum fructum proferre Acacias, sed quod is non legatur in æstate propter nimiam ejus adstrictionem, nisi cum tractu temporis Autumno mitescit. Quo fit, ut scripserit Dioscorid. Acaciam hanc fructum ferre Autumno, quod eo tempore decerpi soleat. Hanc autem esse Aspalathum, hæc tantum ratione, quod eam Spalathrum vocet Græcorum vulgus, non ita facile crediderim. Quippe (ut Plinius inquit capite XIII. præscripti libri) plura sunt spinarum genera, quibus Aspalathi nomen inditum est. Ideoque longe magis periculosum esse puto in cognoscendis censendisque plantis vulgaribus, uti nomenclaturis, quam aliis evidentioribus notis: quum plurimæ habeantur plantæ, quæ ob adulterinas nomenclaturas multum negotii rei herbaria studiosis facessunt. Qui autem alterius Aspalathi faciem scripserit neminem habeo, nec qui dixerit unquam idem Aspalathum semen in siliquis proferre, Acacia modo. Quo fit ut nesciam, nec videam, quæ ratione Acaciam alteram nostram Aspa-

Aspalathum alterum faciam. Hac abste, mi Maranta (si veritatem fateri debeam) haudquaquam egre feram. Nam cum te tanto veritatis ardore affectum esse cognoscam, & in ea promovenda occupatum, mihi quidem aliter persuadere non possum, quam quod hac, ipsius tantum veritatis Zelo publice edenda curaveris idq; feceris tuo ipsius genio persuasus, utpote, qui proculdubio censebas sententiam tuam longè magis, quam meam ad veritatem cognoscendam, conferre posse. Atqui cum ego in eadem opinione jam consenuerim, essem quidem iis studiis, quibus me totum jam diu applicui, omnino indignus, si vel amicorum, vel majorum, vel etiam mei ipsius causa, ab hoc proposito deficerem. Ideoq; si nulla animi perturbatione, & tuas, & ceterorum ab opinione nostra dissensiones a quo sanè animo accipio, non est ut posthac putem, te mihi succensere, sicubi pariter à te dissentiam. Nam cum hanc ob causam à meipso etiam dissenserim, & ob id plura in commentariis nostris emendaverim, ac etiam in posterum emendare augereq; decreverim, nec mihi ipsi pepercerim: non video, quamobrem aliorum errata retegere non debeam (si tuam sequi debeam sententiam) citra ullam amicitiae injuriam. Hoc non solum nulla dubitatione hactenus te fecisse, sed etiam in posterum facturum esse, ex tua hac epistola animadverto, cum non parum in illos inveharis, qui potius amici blandiri adulariq; student, quam iis veritatem declarare, & eorum errata retegere. NAM QUID TURPIUS (inquis) ESSE POTEST, QUAM CUM AMICO IN IIS REBUS VELLE CONSENTIRE, QUAS ALITER ESSE QUISPIAM SENTIAT, AC VIDEAT? AUT QUAE MAJOR PESTIS IN AMICITIA ESSE POTEST, QUAM ADULATIO, BLANDITIAE, ASSENTATIO? Hoc ut clarum exponas, addis fidelis boniq; scriptoris esse munus, ut VERITATEM, QUAM PUTAT APERTAM INGENUE, AC LIBERE EXPLANET, NIHIL FICTUM, NIHIL SIMULATUM PROPONAT, SED INSOLA VERI INQUISITIONE ATQUE INVESTIGATIONE ITA LABORET, UT NON TANTUM ADVERSARIUM CONVINCERE, SED VERITATEM IPSAM, QUAE IN PRIMIS EST HOMINIS PROPRIA, INVENIRE, AC INVENTAM ILLUSTRARE STUDEAT. Assentior in hoc tibi, mi Maranta, si modo hoc fiat fraterne, simpliciter, sincere & citra ullam offensionis notam. Sed si hac omnia cum amicis servanda sunt, considerandum est, an publice & in conspectu omnium, tam amicorum, quam inimicorum, an privatim & secreto amici admoneri debeant. Hec si rectè sanctèq; iudicabimus, facile cognoscemus, sinceri veriq; amici esse munus, ut clam de erratis amicis commonefaciat nec unquam publice ab eo dissentiat, quousq; is tanti beneficii utilitatem spernere videatur. Hoc si fecerit, ne Respublica, & futura posteritas defraudet, veritasq; occultatur, licebit cuiquam posthac publice, vel ab amicis quibuscunq; dissentire. Hec si fierent, non vereor, quo minus quam plurimi reperirentur, qui ab edendis aliorum erratis abstinerent. Quandoquidem si antea, quam id agerent, audirent, quae contra afferri possent argumenta, sepe evenire posse, non ambigo, ut qui in alium scribere se parassent, eadem in sese hallucinatos agnoscerent, in qua illum aberrasse censebant. Quo postea fieret, ne tot lites, tot dissensiones, tot inimicitiae inter studiosos quotidie orirentur. Sed hac ambitio facit, quam veritatem interpreta- mur. Rogas tu quidem, ut si quid tuo in libello, quod minus placeat, adnotaverim, vel à veritate ipsa abhor- rere mihi visum fuerit, id tibi per privatas literas amice (ut soleo) significare velim. Sed nescio qua ratione id à me velis, nec qua auctoritate alios publice arguere tibi licere putes, te vero clam & privatim admoneri pe- ras. Vellem sanè, mi Maranta, si possem etiam in hoc gratificari tibi: sed quo pacto, quae mea non sunt, absq; aliorum damno tibi condonare possem, nulla quidem mihi ratio sese offert. Condonavi tibi ex animo, quae non parum fidem, honorem, & dignitatem meam offendeant, quod hac ad me tantum spectarent: sed quae ad Rem- publicam spectant, tibi, vel alteri condonare nequeo. Nam quae publice edita sunt, & ad Reipublicae utilita- tem spectant, publicis etiam defensionibus, & annotationibus indigent, ubi à quopiam claudicare deprehendan- tur. Sequar itaq; ego in hoc institutum tuum, ne (ut tuis verbis utar) si dum amicis obblandirer, id carerem, quod praecipue à ceteris exoptatur. Possem & cetera, quibus ibidem tuam tueris scribendi libertatem, hic in meam trahere sententiam, sed cum ea legi debere in Epistola tua, ab omnibus mihi persuadeam, illa omnia nunc libens praetereo. Legi itaq; librum tuum à capite ad calcem, non solum ut viderem in quibus à me dissentires, sed quod ea lectione (ita me Deus amet) plurimum delectarer, & semper inde doctior recederem. Sed quem- admodum in pratis & viridariis, inter rosas, & amantissimos flores, & tribuli, & cardui oriuntur, qui legen- tium manus sepe numero offendunt, ita pariter tuo in illo viridariolo pauca quadam offendi, quae mentem & in- tellectum meum pungebant. Primum fuit Doronicum, de quo maxime miratus sum. Nam cum omnium consen- su, id non parva sit praeclara facultas: ad omnes cordis affectus, ad venenatos quoscunq; ictus, ad epota venena, & pestilentes quoscunq; morbos, obstupui sanè, quod illud in atrocissimum & cypissimumq; permutaveris venenum, nempe in Aconitum, quod à Pardis necandis Pardalitanchen Graci vocant. Sed longè magis perturbatus sum, quod in resellendo Galeni tantoperere occupatum invenerim, quod de Aconito illo ad tuam comprobendam opinionem non scripserit, cum tamen non solum Galen. tibi contradicat, sed omnes quotquot sunt auctores, qui de Aconito Thelyphono scripserunt, cum Galeno consentiant. Dicit itaq; in primis, ut novam & ante hac inauditam com- probes opinionem, Aconitum Thelyphonon, quod Doronicum esse statuit, haustum homines quidem minime neca- re, nec id usquam à Dioscoride & Theophr. fuisse dictum, sed quod & oves, & boves, & jumenta, ac in summa qua- drupes omnes eodem die, ipsius Theophrasti auctoritate, interficiat, si tantum radícula vel folium genitalibus im- ponatur. Deinde ut tua opinionis augeas argumentum, probare niteris ejusdem Theophrasti verbis, Thelyphonum haustum non solum hominibus nihil nocere, sed plurimum conferre auxilium ad Scorpionum ictus. Quibus etiam ad- dis à Theophrasto Thelyphonum non Aconitum appellari, nec inter Aconita recenseri. Quae cum contra Galenum esse statuas, tibi illico licere putas tam gravissimi auctoris testimonium posse haud temere impugnare. Atqui con- sideranti mihi & in memoriam revocanti, quae de Venenis in sextum Dioscoridis librum suum commentatus, nulla sese offert ratio, quae impediatur non posse homines eo necari veneno, quo boves, oves, pardi, tauri, equi, leones, ti- gres, ursi, lupi, elephantes, & quadrupedia omnia, quorum plura viribus homines superant. Porro si objicias, fortasse reperiri venena, quae etsi quibusdam ab animalibus devorentur, nihil tamen illis afferant incommodi, ali- quibus verò eadem illico necem inferant, ut de Sturnis Cicuram comedentibus scribit Galenus, tibi quispian facile

Doronicum
examina-
tio, non es-
le Aconit-
um.

Aconitum
thelypho-
non Doron-
icum est
Marantæ.

Aconitum
Pardalian-
chen ho-
mines &
que ac Par-
dos & La-
pos necat.

Plinius de
Aconito.

Galenus
defenditur.

Animalia,
quæ in Me-
dicum
usum ve-
niant haud-
quaquam
veneno ne-
canda.

Doroni-
cum non
esse ven-
enosum.

Cneorum
nec Thy-
melaam,
nec Cha-
malaeam
esse.

Casia Ver-
gilii est
Cneoron.

Gnidium
granum.

respondet non valere argumentum, quod hac sturnorum tantum non volatilium omnium peculiaris sit facti-
tas, & in eo tantum venenigenere, quod non propria facultate, sed calidi vel frigidi exuperantia sumentes in-
terimit. Sed aliter se habet veneni vis, quæ propria sui facultate animalia omnia necat, quod huiusce generis ve-
nena haudquaquam in alimentum mutari possint, ut ea quæ temperamentorum excessu venena sunt, vel esse cen-
sentur, quemadmodum comprobatur Galenus, sturnorum & anseris cuiusdam Atheniensis exemplo, quæ nullo impe-
dimento cicutam devorare consueverat. Nec valere puto ad tuam sustinendam sententiam, quod Theophrastus
ad Scorpionum ictus Thelyphonum tuto propinet, cum etiam Cantharidis ad rabiosorum canum morsus, & Ne-
rium ad venenosorum serpentium ictus magno propinentur auxilio. Quæ tamen cum letalia sint venena, si cui-
piam alteri hisce moribus non affecto exhibeantur, paulo post necem inferunt. Caterum an Theophrasti Thely-
phonum non modo potum, sed genitalibus (ut ipse inquit) admotum, homines perinde ac quadrupedes omnes ne-
care possit, docet nos apertissime Plinius, qui lib. 26. cap. 2. de Aconito illo posteritatis memoria hæc quæ sequun-
tur scripta reliquit. Sed antiquorum curam diligentiamque, qui posset satis venerari, cum constet omnium vene-
nosorum ocysimum esse Aconitum, & tactis quoque genitalibus feminei sexus animalium eodem die inferre ne-
cem. Hoc fuit venenum, quo interemptas à Calpurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objicit. Hinc illa a-
trox peroratio, ejus in digito mortuas. Hoc quoque tamen in usum humane salutis vertere, Scorpionum ictibus
adversari experiendo datum in vino calido. Ea est natura ut hominem occidat, nisi invenerit quod in homine pe-
rimat. Cum eo solo colluctatur velut pari intus invento. Sola hæc pugna est, cum venenum in visceribus reperit,
Mirumque exitialia ambo per se cum sint duo venena in homine commoriuntur, ut homo supersit. Imo vero & se-
rarum remedia antiqui prodiderunt, demonstrando quomodo venena ipsa sanentur. Torpescunt Scorpiones Aco-
niti tactu stupentque, pallentes & vinci se consitentur. Auxiliatur eis Helleborum album tactu resolvente, Ceditque
Aconitum duobus malis, suo & omnium. Quod si quis illa ab homine excogitari potuisse credit, ingratis Deorum
munera intelligit. Tangunt carnes Aconito, necantque gustu earum Pantheras, nisi hoc fieret, repletur as illos
situs. Ob id quidem Pardalianches appellaverit. Hactenus de Aconito Pardalianche Plin. cujus verba si rectè
expendas, non magno sane negotio cognoscere claudicare in hac sententiam tuam, cum de ipso tantum Thelypho-
no Theophr. hæc scripserit. Plin. Hæc, inquam, si expendere, non parva sane injuriæ Gal. affecisse fateberis.
Quippe qui l. 6. de simpl. med. facult. Aconitum Pardalianchen, inquit, putrefaciendi fac. obtinere, & letale
esse medicamentum: ideoque in cibo potuque fugiendum. Præteribo Dioscor. Pauli, Aetii, & Avicennæ testimonia,
quæ tibi maxime adversantur, cum notiora sanè sint, quam à nobis describi mereantur. Nam hi omnes inter ve-
nena huiusce Aconiti meminere. Nec placet deinde, quod scripseris non aliam ob causam huiusce Aconiti meminisse
Dioscor. quam quod palam faceret eo necari Pantheras, Lupos & cetera quadrupedia, quæ illud devorarent. Si-
quidem cum nonnulla sint animalium horum partes, quibus ad varios morbos utimur, affirmas hanc doctrinam
existimasse Dioscor. non fore Medicis inutilem quod objecto quadrupedibus hisce feris Aconito una cum carnibus
sine alio venenationis negotio ea consequi possent. Atqui docere Medicos hæc animalia venenis interficere, ut post
hac eorum partibus utantur ad morbos profligandos, ab omni prorsus ratione videtur alienum, cum animalia à
serpentibus icta vel veneno interempta ubique corrumpantur, & præsertim ubi Aconitum devoraverint, cui ma-
gna vis inest putrefactoria: quemadmodum & ceteris quæ propria facultate sumentes interimunt. Quo fit ut
canes, qui cadavera veneno interempta voraverint, in rabiem agantur. Proinde animalia quæ in usum Medi-
cum trahenda sunt, haudquaquam veneno necari debent. Ego verò cum mihi persuadeam, hoc haudquaquam
ignorasse Dioscor. id nullam aliam ob causam eum manifestasse censeo, quam ut tam noxia pecori, hominique ani-
malia facile è medio tollerentur, & ne eorum excresceret numerus. In qua sententia me maxime confirmat Plin.
utpote qui loco superius citato insci carnes Aconito ait Pantheris objiciendas, ne situs ac regiones illi repleantur.
Postremo si nostris argumentis acquiescere nolueris, quod tamen difficile crediderim, quod non ambigam te ho-
minem esse rationabilem, facito huiusce novi Aconiti periculum. Hoc si feceris, illico proculdubio in nostram con-
cedes sententiam. Nam etsi sexcentos vulgarij Doronicorum modios hoc in negotio consumpseris, nunquam
tamen Pantheras, vel Lupos necabis. Canis meus devorata Doronicorum fescuncia, longè alacrior factus est. Ad-
hæc quod legeris Mauritanorum Doronicum ex tertio esse exsiccantium & siccantium censu, eandem tempe-
ramenti naturam tuam habere scribis, quod fortasse putes Doronicum, de quo Arabes scripsere, nihil à vulgari
nostrate differre. Sed aliter rem se habere maxime pollicetur gustus. Nulla enim alia in eo percipitur qualitas,
quam mediocris dulcedo omni prorsus acredine vacans. Cujus tamen dulcedinis, nullus est inter Arabes, qui me-
minerit. Præter id non parum in Cneoro à te dissentire cogor, quod cum quibusdam censeas, Theophrasto nil aliud
designare Cneoron, quam Thymelaam & Chamelaam. Nam Thymelaam præter id quod nusquam folia odorata
sunt, sed potius si digitis frientur, virosam odorem reddant, radix grandis non est, neque alte descendens, quemad-
modum nec Thymelaam. Nec humi Chamelaam procumbit, nec flores post æquinoctium Autumni, sed vere ipso in-
choante. Ad hæc Cneoron nigrum, quod Thymelaam esse arbitraris, folio est Myrica, quod quantum à Thymelaam
folio absit, id facile, te jam diu scire non ambigo. Hu altera accedit ratio, quod nullum sit inter Thymelaam &
Chamelaam coloris discrimen, quo nigra altera appellari debeat, altera verò alba. Deinde Cneori folia olim in
coronis venisse testatur Plinius. Id quod maximo est argumento, ut non alia de causa quam odoris, coronas ex
Cneoro parasset antiquitas. Hinc fit, ut mihi persuadeam Casiam nil aliud Vergilio in Bucolicis designare,
quam Cneoron. Ibi enim non de Casia arbore scribit Vergilius, sed de herba odorata, quæ à Najade in corol-
lis necabatur, ut facile testatur hoc carmen,

Tum Casia atque aliis intexens suavis herbis.

NAM & Iginus (ut Plinius est autor) Cneoron Casiam vocat. Atqui tu haud rectè, quantum video,
Cneoron Casiam à Theophrasto vocari ais, cum id fecerit Gaza Theophrasto nesciente. Præterea cum antiquorum
omnium consensu Gnidium granum è Thymelaam proveniat, putandum mihi non est, id ignorasse Theophras-
tum, qui si scivisset Cneoron esse Thymelaam cum diligenter admodum Cneori historiam describat, non pos-
sum adduci ad credendum, quin de Cneori baccis, ibi aliquid meminisset. Meminit tamen Gnidii grani,
l. 9. ubi nihil pariter de Cneoro scriptum reliquit. Caterum non negaverim, ob id Dioscor. Thymelaam & Gal.
l. 9. cap. 111. de compositione medicamentorum per genera, Chamelaam appellari. Sed è contra affirmaverim
Theo-

- Theophrasti Cneoron à Galeni & Dioscoridis Cneoro plurimum distare. Has Cneori differentias proculdubio novit Plinius, quippe, qui Galeni & Dioscoridis Cneori meminit, lib. 23. cap. 21. & in hoc Gnidium granum oriri ait. De Theophrasti verò Cneoro egit lib. 21. cap. 9. inter odoratas plantas, quibus ad coronas utebatur antiquitas, & Castiam appellari Igino scribit. Plura enim sunt plantarum nomina, quae pluribus conveniunt plantis. Sed cum hac haud te latere sciam, ne Minervam fortasse docere videar, pluribus ea declarare non libet. Adhuc in Zingibere maxime tibi refragatur Plinius. Nam ubi tu arboris radicem Zingiber esse asseveras, ille de Zingibere & Pipere scribens, lib. 12. cap. 7. Non est, inquit: Piperis radix, quod vocant Zingiberi, alii verò Zingiberi, quanquam sapore simile. Id enim in Arabia & Troglodytica nascitur regione in villis, parva herba, radice candida, celeriter ea cariem sentit, quamvis intanta acritudine. Id quod pariter testantur
- 10 Lusitani: & alii qui in locis ubi Zingiber nascitur, & magna colitur diligentia. Sed ad Violas albas Jasme veniamus. In quibus censendus etiam à me apertissime dissentis. Putas enim tu haudquaquam ibi de albis Leucoi floribus intellexisse Dioscoridem, sed de his, quas vulgò appellamus Gelsomini. Ac quoniam ego scripseram, si de vulgari Gelsimino intellexisset is, haudquaquam pratermisisset, quo minus de eo alicubi scripserit, & historiam, & vires, cum planta sit viribus, non obscuris referta, aperte sententiam nostram impugnare videris, cum inquis, non esse hoc firmum argumentum, cum Dioscorides multorum simplicium mentionem fecerit, nempe Thuia arboris, Buxi, Aegyptia spina, Stybii, Anomii, Hirculi herba, sylvestris Lini, Pyracantha & nonnullorum quorundam, quorum nec vires, nec historiam descripsit. Idque est tantum de causa fecisse illum asseveras, quod in medicum usum hac nunquam veniant, & alii, quam Medicina, operibus deserviant. Sed nescio profecto, mi Maranta, quo suadente genio hac scripseris tu, qui tam diligenter
- 20 in Dioscoride versatus esse videris, cum Aegyptia spina & Stibium in multiplici medicamentorum usu, ipsi Dioscoridi habeantur. Sed id sane magnam in admirationem me duxit, quod viderim te nulla dubitatione affirmavisse, Aegyptia spina & Stibii historiam nusquam scripsisse Dioscoridem, qui tamen de Stibio lib. 5. proprium describit Caput. Ac pariter de Aegyptia spina lib. 1. capite de Acacia, quae nil aliud est, quam spina Aegyptia quemadmodum declarat ipsemet Dioscorides his verbis. Acacia in Aegypto nascitur spina instar arboris fruticosa, non se in rectum attollens: florem habet candidum, & semen Lupino simile in folliculis, ex quo fructus expressus siccatur in umbra. Spina decoctum solutos artus soti committit, &c. Sed quod magis est, tua ipsius verba contra te pugnare videntur. Nam si, ut inquis, Thuia, Buxi, Hirculi & caterarum, quas meministi, plantarum, historias non descripsit Dioscorides, quod hac in Medicum usum nusquam veniant, nescio profecto, cur tibi persuaseris eadem de causa Gelsimini historiam, non descripsisse illum, cum hoc ad multa
- 30 utile habeatur, & ipsemet Dioscorides scribat, Jasmenum prater id, quod odoris suavitatem toti corpori conciliat, ea corpora juvare, quae ex calfactione laxationemque desiderant, & toti corpori convenire, cum in balneis descensum est. Non asseram nunc, inquam multiplicem medicamentorum usum veniat apud Arabas, quod hac longè antea te scire, non ambigam. Possem quidem hic plura recensere argumenta, quae me inducunt ad credendum, Leucoi floribus, non Gelsomini Jasmenum parasse Persas, nisi de re hac fusius differuissem, tum in Epistolis. Scio Atticis Leucoium appellari Jasme, quo fit, ut à mea dimoveri non possim opinione. Quod verò Dictamnium, ut scribis contra Dioscoridis & Theophrasti sententiam, non solum in Creta nascatur, sed in aliis etiam regionibus, non tibi facile concedo. Nam tametsi ex semine è Creta allato Pisis, in horro
- 40 Gbini proveniret Dictamnium, id tamen nil Theophrasto & Dioscoridi detrahit, quum illi de Dictamno sponte proveniente scribant, non desativo, cujus semine è Creta fuerit allatum. Plinium post in Persica arbore sequenti, una cum illo implicatus videris: quippe qui dicas Persicam arborem in Aegypto & locis proximis fructificare, quanquam in Rhodo usque ad florem duntaxat devenit. Hac enim de Persica Aegypto intelligenda sunt, non de Persica nostrate, quae Rhodus ubique abundat fructu nostrate, longè fortasse majore sapidiorque. Quin etiam in Myrrha à te dissentire cogor, ubi Myrrham tenes, non esse odoratam, nisi fortasse incensa suffiatur, quemadmodum & Thu & Agallochum, quae tamen mihi diligentius expendent, etsi non urantur, apertissime me odorem reddunt. Atqui Myrrham quoque esse, per se odoratam, id maximo est argumento, quod statelle, quae Myrrha tantum pinguitudo est, adeo sit odorata, ut eam per se tantum nullo addito odore, unguentum facere scribat Dioscorides. Neque aliam ob causam Myrrham in unguento Amaracino, Cinnamomo, Malabathrino, Irino, Cyprino & alii nonnullis addebat antiquitas, quam odoris conciliandi gratia. Id quod facile probatur ipsius Dioscoridis testimonio, in unguenti Nardini apparatu, ubi sic habet. Fucus odoratus spissamenti gratia adjicitur, sicut propter odoris suavitatem, Costus, Amomum, Nardus, Myrrha, Balsamum, & in Cinnamomi confectione laudatur, inquit, non acre, molli odore Myrrham redolens. Id quod etiam aliis in unguentis repetit. Nam cum antiqui Moscho, Ambaro, Ziberog, vocato destituerentur, Myrrha, Balsamo, Amomo, Costo, Nardo, Cinnamomoque, ad odorata unguenta paranda semper usi sunt. Dioscoridi subscribit Galenus lib. 1. de Antidotis, ubi mineam Myrrham maxime bene olere scribit. Idem libro primo, capite quinto, de compositione medicamentorum per locos, de medicamentis agens, quae pilos attenuant, Myrrham eis interponi jubet, ut odoratoria reddantur. Idem praterea reperio posteritatis memoria commendasse Plinium, quae tamen in tua opinionis testimonium asseris. Siquidem in lib. 12. cap. 15. Catero passim, inquit, è vulgo coemptam Myrrham in solles confarciunt, ipsique unguentarii digerunt haud difficulter odori atque pinguedinis argumentis. Item lib. 13. cap. ubi ea quae in Nardinum unguentum veniunt, recenset. Omnia autem
- 60 tem, ait, (unguenta intellige) acutiora sunt Costo, Amomo, quae maxime nares feriunt crassiora Myrrha, suavioraque. Et paulo post inquit, Myrrha & per se unguentum facit sine oleo, si acule duntaxat. Sed & Agallochum esse odoratum, etsi minime suffiatur, id maximo est argumento quod scribat Dioscorides, mandi Agallochum vel ejus decocto os collui commendandi halitus gratia, ea quidem ratione, quae quidam hoc avo Moschum quibusdam confectionibus mixtum cotidie mandunt, adversus oris graveolentiam. Testantur item Agallochum odoratissimum esse Lusitani, qui in Meridiem & Orientem navigant, quique ejus viderunt plantas, ut fusius in commentariis nostris diximus. Beticam quoque, quae passim utimur in medicamentis hanc odoratam esse scribis lib. 2. cap. 5. nisi digitis atteratur, cum tamen nusquam illam integram nec digitis attritam in odoram repererim. Catanances subinde radicem improprie in terram flecti & contrahi in formam milui exanimati scribere videris, quod scribat Dioscorides adeo flecti Catanances radicem, ut milui exanimati unguis, non miluum ipsum

Zingiber
non esse Pi-
peris radi-
cem.

Gelsimini
& Leucoii
examina-
tio.

Opinto,
quod Di-
ctamnium
alibi, quam
in Creta
proveniat
explosa,
Persicam à
Persica dif-
ferre.
Myrrham
odoratam
esse, etiam
non suffi-
tam.

Agallo-
chum odo-
rem redde-
re etsi non
suffiatur.

Betonica.

Catanance

totum referat. Qui Plinium accusant, quod Sisybrium in Calamit ham mutari scribat contra Theophrasti sententiam, haud rectè (meo quidem iudicio) faciunt, cum id erroris depravata lectioni non Plinio sit adscribendum. Præter id enim, quod in antiquissimo Pliniano exemplari legam ego in Mentham, non in Calamit ham degenerare Sisybrium, quis non videt Plinium ex Theophrasto transcripsisse? Quippe Theophrastus lib. 2. cap. 5. de historia plantarum, & lib. 5. de causis cap. 8. Sisybrium in Mentham mutari scribit, facie verò Calamit ham referre. Namq; facies non immutat plantarum sapes, neq; facultates. Videri in Galiopsi & in Primula Veris, quam quidam herbam Paralytis vocant, etiam a me dissentire, sed cum id abs te fiat infirmis satis argumentis, sat in re hac mea Commentaria tibi respondere arbitror. Hortensis Solani fructum nigricantem aut fulvescentem facere Dioscor. censet, quod nunquam vere niger, neq; vere fulvus videatur. At ego aliter rem intelligo: cum Hortense Solanum modo fructu nigro, modo rufescente, modo ex viridi nigricante sapissime viderim. Supinam tuam verbenacam, perquam libentissime spectarem, quam non longè à Bitonto Apulia a te inventam scribis. Verum cum Dioscoride teste ea singulari ramo plurimum constare debeat dodrantis altitudine, non ita facile tecum sentiam, quum tua ramulos plures adscribas, qui tribuli terrestris modo humi repunt. Etenim repere hanc nunquam scribit Dioscorides, sed ramum dodrantis altitudine proferre. Eruum sanguinem per urinam ducere non posse, nisi frequenter copioseq; sumatur, tecum sentio, sed in eo quod venena non interficiant, nec suam (ut tu ipse inquis) ostendent ferocitatem nisi certa quadam mensura accipiantur, prorsus a te dissentire me cogit ipsa veritatis ratio. Siquidem tametsi nonnulla reptantur venena, qua nisi certa quadam quantitate pota non interficiunt, ut Cicuta, Meconium, Euphorbium, & alia plura, qua tantum venena sunt ob calidarum frigidarumq; qualitatum exuperantiam sunt tamen quam plurima, qua propria sua facultate, vel (ut alii dicunt) propria forma enecant. Etenim hac quanquam pauca admodum quantitate sumuntur, ut vix sentiantur, tanta tamen est eorum malefica atroxq; vis, ut brevi temporis spatio tantum augeantur dum in seipsa corporis humiditatem convertunt, ut postea brevi temporis momento fumentes in necem trahant: Hujusce classis sunt Aconita omnia, Toxicum, Napellus, & alia id genus plura. Atqui si hac tantum a me ipso putas excogitata, audi quæso Galenum, qui lib. 1. de semine hoc idem testatur his verbis. Quæ ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum, quæ deleteria appellantur, ubi animalis corpus ingressa fuerit totum id momento temporis immutat, sibiq; simili affectione alterat: non secus fit curatio, qua per venereorum remedia & antidota adhibet, &c. Et lib. 5. cap. 19. de simplicium medicamentorum facultatibus. At medicamenta, inquit, quæ tota essentia nobis contraria sunt, proinde si vel minimum eorum assumptum fuerit, omnino ladat necesse est. Item lib. 3. cap. 22. Medicamenta erodentia, inquit, & putrefaciencia, etsi in quantitate minima sumantur, omnino tamen corrumpunt, quia videlicet quæ putredini obnoxia sunt, calore humiditatemq; putrescere solent. Atqui calidus humidusq; sanguis est, itaq; putrescere nunquam cessare possunt. Proinde longo post tempore etiam a quo sumpta sunt, nonnulla interimunt, potissimum, quæ crassa terrenaq; essentia habentur. Hæc Gal. Quibus palam est, universalem hanc tuam propositionem nihil prote concludere posse. Citrii mali corticem & semina nulla dubitatione esse calida, & eorum acidum succum frigidum una tecum affirmo. Sed in Ovo non parum a te dissentio, cujus album contrariam fere vitello facultatem possidere aui. In hanc sententiam me adducit Gal. lib. 11. de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi sic habet. Temperatura porro Ovorum album symmetro frigidum est: itaq; eo utendum, non tantum ad oculos, verum etiam ad alia omnia, quæ medicamenta requirunt suavissima, minimeq; mordacia, ut sunt universa sedis ac pudendorum ulcera contumacia: sed iis miscetur quæ absq; morfu ea possunt desiccare. Porro & ipse vitellus a similibus est natura. Hæc ille. Juniperi baccas & folia, & fraxini etiam frondes ad quasdam affectiones valere intus sumpta scribis à Dioscoride doceri, verum si utriusq; arboris ligni ramenta devorentur, perniciem asferre. Sed ut priora esse vera non ambigimus, ita posteriora suspecta censemus. Etenim cum Galen. Paulus & Serapio, qui ex Dioscoride transcribunt, nunquam hujusce fabule meminerint, nec ratio ipsa consentiat, non est quod prohibeat, quominus credendum sit, Dioscoridis codici subesse mendam, præsertim cum non desint Græca exemplaria manuscripta, in quibus Juniperi caput ubiq; fere depravatum legitur. Id quod etiam de Fraxinei ligni scobe censendum puto, cum id non affirmet Dioscorides, sed ita aliquibus tradi ait. Ceteris hoc adungere libuit, quod non placeant comparationes, quæ cum suspectis sunt lectionibus.

Hæc itaq; sunt, mi doctissime Maranta, quæ tuo in illo viridariolo senticosa nobis visa sunt & inde eruncanda putamus. Atqui tametsi de his meum tibi propalavi iudicium, nolim tamen hac tanquam ab Oraculo prolata accipias, sed tanquam ab homine amico, qui non ambitione, non invidia, non petulantia, non injuria vindicanda, non tua impugnanda doctrina, nec sua promoverede opinionis causa, sed veritatis propugnanda & juvanda posteritatis ad te scribat. Dixi tibi sententiam meam, quæ unicuiq; libera esse debet, amicabilibus sanè verbis, pacatissimiq; animi affectibus. Quinetiam omni seposita mentis perturbatione, citra omnem invidiam, & sermonis asperitatem causam meam abs te pluribus oppugnatam argumentis leniter humaniterq; defendi. Sed invitus sanè (ita me Deus amet) & præter animi voluntatem in hanc deveni diffutationem. Invitus, inquam, quod cum amicis haudquaquam certare soleam, quum vix tam leve humanumq; certamen ullum esse possit, quod aliquid vel laisionis, vel annulationis non asferat. Atqui omnes, ni fallor, hujusce facti culpam in te rejicient, qui tuam illam Methodum legerunt, & hanc tuam Epistolam intuebuntur. Siquidem ubi animadvertent, quod non solum eo libello & fidem nostram laeseris, & scripta pluribus in locis impugnaveris: sed quod hac etiam in Epistola dum te ab illa mihi injuria pluribus modis excusare niteris, tuam tamen opinionem tueris, nec tantillum quidem à priori dimoveris sententia, imo Epistola ipsa ad respondendum me provocas, non vereor, quin illico iudicent tua tantum ipsius violentia me in certamen hoc esse adductum. Quanquam autem libelli illius amariuscule quibusdam argumentis mihi insensui judicaretis ab omnibus, id tamen nihil me ad scribendum in te movebat, quod non desuturos sperarem, qui vel causam meam defendendam susciperent, vel de illa mihi injuria (ut prudens ille Pisanus) re admonerent. Sed longè aliter se habet Epistola tua argumentum, quippe quod Epistola qualibet responsum petere videatur. Inhumani enim atq; illiberalis animi crimen esse putant probi ac synceri homines, ubi quispiam acceptis literis non respondeat. Sed nescio profecto, an hujusce facti culpam in te rejicere debeam, an in illos fortasse quibus libellum vendendum, examinandum ac emendandum commiseras, an verò in utrosq; id erroris rejiciam. Porro si veritatem fateri debeam, doleo sane plurimum, & tua, & mea sortis eventum, quod tua tam male cesseris

ferit opinio, & cogar ego cum amico certare, ni velim inhumanus, illiberalis, indoctus, negligens, dignitatis honorisq; mei contemptor ab omnibus haberi. Sed quum, ut apprime doctus & eruditus, ita prudens ac pius à me habeatur, nihil mihi verendum est, quominus hac omnia amicabiliter suscipias, & certaminis nostri causam abs te ortam agnoscas. Quod ut facias rogo atque etiam obsecro, ne nostris laboribus invidentes, dissensionibus nostris latentur. Polliceor tibi, mi Maranta, non modo me nihil unquam facturum, sed ne cogitaturum quidem, quod amicitia nostra vinculum rescindere valeat. Sum enim tui amantissimus & honoris tui tuæq; famæ studiosissimus. Id quod multi docti viri, quorum hic consuetudine fruor, attestari possunt. Nam demonstrantibus illis, quæ tuo in libello adversum me habes, suadentibusq;, ut acerbam aliquam in te ederem Apologiam, non solum eorum suasionibus morem gerere recusavi, & cum eis pro te pluribus disputavi argumentis, sed laborem illum tuum, & illius, & ceteris quibuscunque laudibus non minimis promovendum curavi. Ad te amandum promovendumq;, excitavit primum Luca Ghini præceptoris tui de tua singulari eruditione testimonium: deinde vero virtus tua ac doctrina, tuiq; utiles in Medica materia labores, quibus pro virili futuram posteritatem juvare niteris. Quamobrem audebo te hortari, ut maneat perpetuo in sententia. Tua illius Methodi lectione (ut antea fassus sum) mirum in modum sum delectatus, & ingenii tui acumen admiratus, quo fit, ut etiam longe magis me delectari possibac putem commentariis tuis in Dioscoridem editis, quod maturiori iudicio majoriq; fortasse diligentia hac esse edita putem. Utinam tam essem doctrina & eloquentia præditus, ut tibi auxilii aliquid consilii hoc in negotio præstare possem, facerem quidem id ex animo, tanta tuæ juvande doctrina est mihi voluntas. Sed cum ad hoc munus obeundum inidoneum me esse intelligam, & itineris distantia hanc meam erga te impediatur voluntatem, rogo atque etiam obsecro, ut animum hunc meum boni consulas. At quoniam ejusdem te esse in me voluntatis mihi certo persuadeo, cum sciam istuc in toto Regno haberi montes, maria & valles, quinetiam viridaria, in quibus rara ac utiles virescunt plantæ, velim ut pro tua singulari humanitate, ea omnia quæ nostra Commentaria augere illustrareq; posse censebis, ad me mittere non dedigneris. Quod te facturum omnino spero. Nam si tuam respexeris probitatem, & animi ingenuitatem liberalitatemq;, hæc omnia tibi facile persuadebunt, ut illico votis meis satisfacere studeas. Si deinde meum in re hac desiderium etiam confiderabis, illico cognosces haberi fortasse neminem, qui me dignior sit, cui hæc largiri debeas. Nulli enim hæc concedere poteris, qui tui nominis laudes magis extollat, qui diligentius suis in libris collocet & appingat, quique hæc omnia majoribus præconiis tibi accepta referat, quàm MATTHIOLUS. Tam honestam petitionem pluribus ab amico optimo exigere suasionibus operapretium non est, ne videar quasi vel fucatis argumentis, vel melliflua quadam verborum dulcedine, ea ab ipso extorquere velle, quæ tantum ejus benevolentia ac liberalitate consequi desidero. De cætero sat recte nos valemus, tametsi ingravescente jam ætate, non desint quandoque senectutis incommoda. Sed hæc feremus forti animo. Vale. Praga.

ANDREAS DE BLAVVEN MEDICUS,
Petro Andreæ Matthiolo,
S. P. D.

Agitur de multiplici auripotabilis parandi ratione.

40 **A**epius ego, Præstantissime Matthiolo, sum admiratus plurimos ætatis nostræ summos & clarissimos Medicos, naturaq; indagatores acerrimos: qui cum in materia medica cognoscenda, & explicanda plurimum navarint opera & laboris, intereat amen aurea illius aqua, magni in primis & nunquam satis laudati remediū, mentionem omnino nullam faciant, quam tamen adeo nobis commendarunt ex veteribus quidam ut ceteris eam omnibus medicamentis facile prætulerint, quippe quæ vires, ut ut illa languent, resituantur in tantum, ut rejuvenescere videntes, vigoremq; inde incredibilem facultatum omnium corporis recipere videantur. Eius rei causam, in difficultatem ejus aqua paranda, quod in consiciendo chymicos labores requirat, quos pauci sciunt, vel tanquam sordidos abhorrent, an in avaritiam & sumptuum parsimoniam referam, dubito. Complures certe esse scio, qui cum ipsi rem ita arduam, vel ignavia, vel mentis hebetudine non valuerint assequi, conatus in ea aliorum industriorum hominum summo opere contemnant & elevent. Quorum ego impudentem & insciam temeritatem deplorans, mihi ipsi gratulor, quod in hujus Serenissimi Principis nostri servitium adscitus sim, nimirum quod inde mihi tecum, quem in secretioribus istis remediis parandis iudicio & usu plurimum posse constat, de hisce & aliis familiariter conferendi & coram uberius disse-
rendi sit data occasio.

Ex notitia enim inter nos per triennium hoc indies conversando quam familiarissime contracta, me non latet, te utcumque scribendi studio & aliis curis occupatissimum, furtivarum tamen horarum quicquid est, ut plurimum rarioribus hisce parandis medicinis tribuere, teque his adeo affici, ut laborum nihil proprius etiam manibus peragendum subterfugas. Alunt soventque conatus nostros socii studiorum, itaque & ego tuo exemplo majore diligentia in arcanam illam parandorum medicamentorum rationem incubui. Quæ autem de auro
60 potabili diuturna inquisitione, varia lectione longaque experientia, nec sine magnis sumptibus comperi habemus, ea libuit coram te hoc loco referre: non ut te docerem, quod ignorares, sed ut hoc modo aliquid elicerem, quo ipse eruditior redderer.

Porro nostri varias esse à diversis excogitatas rationes, quibus in liquorem potabilem aurum reducere conati fuerunt. Sunt enim, qui illud aquis, quas à vehementi corrosione fortes dicunt, in aquam resolvunt. Parantur istæ vulgo Chymicis ex Salis nitri una parte & dupla Chalcanti. Separatur his aurum ab argento, ideoq; Separatim
ces aquas vocant: dissolvitur enim argentum in aquam, aurum vero subsidet in fundo, pulvisculo nigro simile. Si
quis prioribus addiderit quartam partem Salis Ammoniaci, parietq;, ut prius, habebit aquam, quam Regiam Auri-
fabri & Chymici appellant. Subsudet separando in hac argentum calci simile, liquefit vero aurum in aquam vere
aurei fulgentis nitidi coloris. Sed ne quis hac utatur, unice cavendum: viscera enim omnia exederet. Habet Phi-
lippi

Primus dissol-
vendi
auri modus
per aquam
fortem.
Aqua Re-
gia.

Alios sol-
vendi Auri
modus.

lippius Ulstadius descriptionem auri potabilis, quod Joannem de Toledo, & Hugonem, ambos Cardinales, in omnibus ferculis usurpasse, & pro maximo thesauro habuisse dicit. Exurit autem in aqua, qua solvitur, compositionem, non tantum sal niri, & Ammoniacum, sed & Mercurius sublimatus, quibus cum summe sint corrosiva, nec veneno carentia, nullo pacto utendum consulerem. Nec tantum propterea, sed ne ventriculus auro obducatur, verendum. Insicit enim illa aqua omnia, qua attingit, pro varietate rerum, quibus est commixta, auri si auro, nigro colore, si argento, vel Mercurio vivo, viridi si cupro, &c. Excogitavit ille quidem quicunque ejus fuerit author, rationem non admodum ineptam, malignitatem ejus adimendi, qua scilicet aquam illam rodentem, iterum destillando ab auro soluto abstracturum se sperat, ut in fundo butyro simile remaneat aurum: sed spirituum aqua fortis, salis praesertim Ammoniaci & Mercurii tanta est vis corrosiva & venenosa, ut frustra se quis ea a remanente auro separaturum speret: maxime vero ipsum argentum vivum, quod 10 libentissime, & facillime cum Auro unitur & remanet, sicut etiam, utcumque liquidum sit, & tactui cedat, solum in se aurum recipit, reliquis omnibus renitens. Aqua ego calida distillata potius materiam infundere, sapientius, abluere tentarem, qua proculdubio falsedo illa, & forte vis venenosa promptius auferretur. Alio-

Aurum dis-
solvi cranei
humani
sale.

qui hujusce creditur medicina, cum tantis venenis preparata, usum non temere tentandum, nec admittendum esse constat. Alios ego novi, modumque conficiendi habeo, qui ex priori parte cranei humani calcinata, ad Crystallinum, ac Diaphanum sal reducta, quod te quoque vidisse puto, se Aurum potabile conflare posse sperant, sed utrum confecerint, nescio. Utcunque verores hac se habeat, omnino ut sal ex craneo paratur, oportet. Cum autem Salium nativorum copia nobis suppediret, & aque ex aliis rebus omnibus combustis sal confici posset, quid ipsos ad Cranei potissimum inquisitionem commoverit, miror. Recordor ego quidem Alberti de mineralibus dictum, ubi asserit magnam inesse virtutem mineralem capillis humanis, illis praesertim qui de capite 20 abscinduntur, suorumque tempore visum, & inventum esse Craneum hominis, quod inter dentes suturae superioris partes multas aurei pulveris habuerit admixtas. Scio quoque Gebrum (qui solus fere, ex ipsius natura principis Chymiam tradidit, quemque, ob hoc artis illius studiosi tanquam Aristarchum suum admittunt) oleum quoddam, ex capillis humanis pro incensatione, ut loquuntur, seu preparatione ad faciliorem liquefactionem metallorum, nire commendare. Sed detur ipsos aliquid eo efficere, tamen ratio hac preparandi valde semota & longinqua videtur, cum alia multa reperiantur, quae per se id ipsum praestant, ad quod craneum vix multo tempore perducere poterit. Idque eo magis, quod sal istud conficiendo, ut experti sunt qui illud parare tentarunt, craneum dum eximitur tetro suo, & maxime foetenti odore (ut comburendo ossa pleraque solent) graviter nares feriat, omnemque ambientem inficiat aerem. Habeo porro Argentinenfis cujusdam medici rationem conficiendi Aurum potabile, ex solo Auro, absque ulla re alia addita praeter ignis vim, quem lege artis Chymica, Au- 30 rum per Stybium expurgatum, & intenuissimas laminas redactum, ac vasculi ad hoc idonei, libere, ne sese usquam lamina contingant appensum, dum exurit & calcinatur, in fornace ad hoc debite parata per medium annum quam ferventissimum sustinere oportet, quousque tandem lamina illa Aurea illinc exempta, libero & frigidiori exponantur aeri, & oleosus quidam humor inde defluat & resolvatur rubei coloris, sapore subdulci. Eliciebat autem ille ex libra una auri ad uncias duas olei. Sin vero, quod igne fortassis non undique pariter fuerit aurum exustum, minus prompte liquor ille defluat, spiritum vini rectificatum aliquoties infundere solebat, idque tam diu adeoque saepe reiterare, donec omnis ille color fulgens extraheretur, aurique pulvere sub albo in fundo relicto nihil porro coloris auri spiritus ille vini inde reciperet. Quam subtilissime vero hunc spiritum, vel quintam essentiam rectificabis, si eam in cucurbita vitrea sub alembico, praeposito recipiente, in gelidissimam, vel nive refrigeratam fontis aquam impones, ipsum capellum panno lineo in aqua calidiori imbuta 40 undique teges. Per alembicum enim partes illa tenuiores & subtiliores sursum feruntur, aquae in fundo relictae. Hoc, inquam, vinum auro, ut dixi, calcinato infusum, & per alembicum denuo distillatum, in fundo possit se relinquit eundem illum subrubrum liquorem, aurum scilicet potabile: quo se & alios ad multos annos saluum & incolumem conservasse Medicus ille dicitur. Solebat ille, per purgato prius corpore, raso & calefacto vertici capitis, drachmam unam ejus affundere, ac tantundem in malvatico bibendum exhibere. Neque verò hac ejus preparandi ratio, adeo absorta videtur, cum & experientia confirmet, & Geber Chymicorum Princeps libro tertio capite sexagesimo tertio asserat: Metallica corpora omnia vere calcinata solui per reiterationem calcinationis, rationem subiungens, quod omnia calcinata ad naturam salium, vel aluminum accedant. Hanc auri potabilis conficiendi modum maxime probavit Generosus & Magnificus Comes Julius ab Hardek, &c. Serenissimi Principis nostri Marechalcus, Moxcanas mihi summus, qui sumptibus faciendis, & sedulo studio secre- 50 tiora illa, igne parata remedia inquirendi, nomini cedit, cum praeter alium modum hic sibi placeret, majoremque spem faceret, & securius eo utendi & magis conferendi humana saluti, quod liquor ille aureus absque alio (ut alii solent) corrosivo addito pararetur. Itaque laborem suscipi curavit, eoque ad viginti septimanas progressus: ad duas contas ulnas majores, quaternos cubitos capientes, lignorum insuperavit.

Sed fato nescio quo contigit, ut artifex operis vita excedens, opus reliquerit imperfectum. Quod licet in primis, tanquam destructum, & inabsolutum opus, Magnificus Comes negligeret, elapsis tamen aliquot diebus videndi ejus desiderio allectus, vasculi exemptis, invenit ferramenta quadam, pro sustinenda fornace parata, aureis maculis possum conspersa, quae utraque ipsorum facie, etsi latum digitum crassitudine excederent, apparebant, atque adeo guttas illas luminis decedentes ferrum totum penetrasse videre licebat. Sicut ad huncque diem videre est ferramenta ista ob hoc, à Magnifico Comite asservata. Unde proculdubio facile credendum, cum guttula ista calore decedentes partium tenuitate, ferrum penetravit, in humano corpore longe facilius, ad omnia vasa deferri posse. Sed lignorum penuria, & laboris diuturnitas baculum, quo minus denuo pararetur, obstitit. Vidimus utique, nostrum simul & gustavimus aquam illam, Serenissimi Principis nostri jussu, nobis & Doctori Gallo praeclara memoria, pro auro potabili ostensam, quae à montibus Curtinis celsitudinis sua dono missa erat. Reserebat illa quidem diaphano suo & fulgente colore, ut si quid aliud, purissimum aurum, quod visu jucundissimum erat: ex sapore verò nihil praeter spiritum vini, ex quo 60 & ipsimet artifices se confecisse fatentur, deprehendimus. Sed (quod dolendum) effectus in morbo illi, quibus periculum ejus à nobis fiebat, autorum promissis non adeo respondebat. Sunt similes aurearum aquarum ex vino parandi rationes infinitae in voluminibus Raymundi Lullii, quae edita partim, partim conscripta cir-

curant.

Aque aureae
ex vino va-
riae parantur.

- cum feruntur, sed aliis alia plus temporis & laboris requirunt. Ego quoque similis aqua ex vino & auro conficiendi rationem per me & alios expertam habeo, sed magni est ac diuturni laboris partes illas subtiliores vini ab aqua, & terrestribus recte abstrahere & separare: quod elementorum separationem Chymici dicunt. Habet enim omne vinum in se terreum, & siccum aliquid quod distillatione nobis separatum, adeo tetrum, horrendum & graviter olentem fetorem exhibebat, ut non tantum vascula quibus continebatur, sed & ipsas cistas imo & conclavia adeo inficeret, ut Asam fetidam quis accensam dejerasset. Utcunque tamen, & ha, & passim alia sunt inventa & usu probata, plures viae, & rationes aurum in aquam potabilem redigendi, experientia tamen, & ratione firma, constat nihil in rerum natura inveniri quod tam aurum, quam reliqua metalla promptius in aquam vertat & solvat, ipsumque sponte siccum quum sit, facilius fluat, quam salia mineralia.
- 10 Neque enim unquam vinum per se, aut ipsius spiritus (nisi per salia aurum forte sit preparatum) utcunque aliquid ex auro coloris recipiat, omnem ejus substantiam in aquam converteret, nisi vel ipsum vinum diuturno igne acrimoniam summam & salsedinem acquirat, vel ipsius fax terrestris & fetida, de qua superius dictum, diuturna calcinatione (quam Raymundus abunde docet) dealbata & exusta in salis naturam convertatur. Omnes itaque haec a me dicta preparandi rationes in hoc conveniunt, quod aurum, aut per ipsa salia solvatur, aut per talia, quae ignis vi diu exusta, salis aliquid (ut solent omnia combusta) acquirant, quo in ipsa metalla agant. Quod & perspicue testatur Geber, capite 22. libro 1. dicens. OMNE QUOD SOLVITUR NECESSE EST SALIS AUT ALUMINIS, VELEORUM CONSIMILIUM NATURAM HABERE: NEQUE INVENIUNTUR ALIA SOLVI PRÆTER ILLA. IGITUR QUÆCUNQUE SOLVUNTUR NECESSE
- 20 EST PER ILLORUM NATURAM SOLVI. id est, in aquam redigi. Quoniam autem major salium horum mineralium pars, & praesertim ex ipsis parata aqua, sapore & odore fetidissima sint, horribiles & arrosive atque humana natura abominabiles, ideo plerique isti haec plurimum omnium sapere visum sunt, optimeque se rem confecisse putarunt, qui illud ita pararent, ut minimum in se corrosionis haberet, ac quam tutissime intra corpus exhiberi posset. Hac & ipse mecum animo quam diligentissime reputans, in eam tandem deveni sententiam, cum experientia doceat SALIS COMMUNIS usum humano generi, non modo, non noxium, sed pergratum, ac adeo necessarium esse ut neque sine ipso aliquis nobis cibis arrideat, & si quis diutius eo abstineat, in morbos ex putredine facile incidat, sicut & carnes, & reliqua edula humana, nisi ipso conserventur putredini, quam maxime, sunt idonea: cum inquam, ita se haec habeant, in spem veni Sale illo communi solitum sortasse & aque facile, ac aliis salibus in aquam aurum redigi posse, atque adeo rem, cujus investiganda semper avidissimus fui, varie per me & alios, quorum ad hoc opera utebar, tentanti, ac aliquot annis inaniter, & frustra quaerenti, tandem se via obtulit, qua res satis feliciter successit. Cum enim in valle mea Blavia, ubi pradia mea & officinas, quibus ferrum coquitur laminae, cundantur, & inter reliqua, ad hoc laboratorium (ut Chymici vocant) extructum habeo, quod locus in montibus (quos Sudentas Protonotarius nuncupat) situs, ob sylvarum & carbonum copiam, simul & vitrorum, ac fictilium coemendi faciliorem occasionem, ad hoc parandum maxime idoneus esset, illa laborarem: tum primo quidem, sed interea sapius & hic Praga, dum hac mea apud Serenissimum Principem nostrum conditione fungor, aliquoties ex SALE communi, quo condiendis cibis utimur, aquam vel oleum potius quoddam pinguiusculum & grave confeci, in quo aurea lamina, vel ejus pulvis, quem calcem dicunt, per Stybium prius lege artis purgatus trium dierum spatio, sensim, & paulatim liquefcit & in aquam convertitur: adeoque subtile ac
- 40 tenuium partium evadit, ut etiam per alembicum facili igni ferri possit. Sapor illi, teipso teste, qui illam degustasti, Limonum succo, non admodum dissimilis, nisi quod dum nuper est parata paulo plus acerbi sapiat. Usus sane sum eo sapius felicissimo, Diu gratia, successu, in morbis diuturnis, putridis, & variis obstructionibus. Quia absque hoc quod nimium sit acre, vel urat, summe est penetrativum. Quare Apoplexia, Paralyti, tam linguae, quam reliquarum partium, Spasmo, retentionibus menstruum & urina calculo, quem mirabiliter comminuit, icteritia & principio hydropis, aperiendo, restaurando appetitum, ventriculum roborando, vomitum cohibendo, optimo medetur & confert. Exhibens in febris nunquam ad auctos colores sensi, sed potius remissis, ut plurimum observavi, mixtum vino granatorum & aqua rosarum, syncopae, tremori cordis & melancholicis mire subvenit. Medetur venenis omnibus, praesertim vero Mercurio infectis. Doloribus juncturarum ex morbo Gallico curatis, per unctionem Mercurii exhibitum, & inunctum subvenit.
- 50 Gargarisatum cum aqua rosarum, ulcera putrida, & sordida faucium, & colli ex morbo Gallico, etiam ubi calores adjuncti fuerint, egregie curat. Plura Medicus, cum ratione illud sapius exhibens inveniet. Rationem ejus conficiendi subjungam, non ut Minervam doceam, cum (si per negotia occasio daretur) in his te longe felicius versaturum sciam, sed ut hoc ipsum, ob quod hac scribere coepi, feliciter a te obtineam: nempe ut si cujus momenti in usu Medico, illa fore videbuntur, solido & exacto tuo judicio confirmes, meliora addas, diligenti & assidua rerum Medicarum inquisitione, in quam felicissime haecenus, totus incumbis, dum quod optabam assequi minus mihi perfecte contigerit, omnes vires & nervos mecum eo intendas, scriptisque tuis, quod magni apud plurimos sint ponderis, aliorum etiam animos eo allicere contendas, ut suam quique, huc adeo prius decantata Medicina inquirenda, & denuo in medium asserenda, operam pro virili naves: ne ita summum hoc remedium, quo jam diu sumus destituti, in contemptum abeat, & nomine saltem sit nobis cognitum. Requiritur vero ad opus hoc perficiendum, exceptis vase & fornace, tria potissimum Aurum, Sal commune & pau-
- 60 cissima quantitas aceti stillati. Aurum, antequam operi adhibeatur, ab aliis metallis impuris, quae secum commixta habet, exactissime purgandum est & separandum. Quod egregie praestat Antimonium, si simul liquefcit, vel fluxerint, ita tamen, ut pondus Stybii longe & decuplum usque, Aurum excedat. Quicquid enim argenti, vel alterius impuri metalli, Auro admixtum fuerit, id omne in se recipit Stibium, solum, Auro in fundo vasis pyramidalis, ad hoc ab aurifabr, & fusoribus parati, residuo: quod vase exemptum seorsim in cuspide, quem Regem illi vocant, exacte mundum reperitur: Acetum quoque, ut ad opus magis sit idoneum hoc modo distillandum. Accipiantur Acetum ad nos defertur, huic operi praeter idoneum, Libra una. Mixta per Alembicum in balneo Mariae distillantur, quo quo pacto distillandum

Omne
vim dissol-
vendi auri
in salibus
consistere.

Ratio dissol-
vendi
aurum per
oleum Salis
commu-
nis.

Auri pota-
bilis oleo
salis parati
facilitates.

Auri pra-
parandi
modus.

Acetum ad
hunc usum
quo pacto
distillan-
dum

li

Sal quo pacto
præpara-
randum?

Fornax
qualis esse
debeat.
Vasa qualia
requiran-
tur?

Separatio
illorum
quæ extite-
runt ex
proxima
salis destil-
latione.

Austerus
Auri pota-
bilis sapor
quo pacto
corrigen-
dus?
Saccharum
qua ratione
se ipso mul-
to dulcius
efficiat?

Sacchari
præparatio

Tinctura
auri.

li subtiliores levi igne primi ascendunt & effluunt, aqua vero deinde sequitur: ita è contra acetum pauciorè igne & in principio aquam dimittit, ipsum vero tandem multo maiorem requirit ignem quo sursum feratur. Separata autem, modo quo dixi, omnia aqua, reliquum aceti per cineres destillandum est igne fortiori. Sed tamen neque illud totum, ad finem usque abstrahendum: turbidum enim redditur, & adustionem redoler. Verum quam primum tertia, aut media pars excepta fuerint, urgendo cessandum, & reliqua adjicienda. De-
mum satus, ut dixi, Halensis libram unam paucissimo aceto infundens, semper agitando, id vase fictili bene ob-
turato, in loco calido repositum lente exsiccat, atque hoc tertio, aut quarto iteretur. Porro ad q. amlibet li-
bram Salu communis, misce huius acidi salis unciam unam atque alteram. Sicq. destillationi sal præparatum
habeas. Fornax sit similis illi, quibus aquas, quas sortes dicunt, elicimus: in qua undique cucurbitam igni
ambiat. Ego tamen semper posteriori parti fornacis alteram adunxi altiorē, quam, quod vigilu, & labori
carbonum imponendi parcat, inepte pigrum Henricum artista nominant. Ex vasis maxime idonea est cucur-
bita, quæ Chymicus, quod ventre sit amplo, collo oblongo, & angustiore contorta, Retorta dicitur: quam undiq,
limo munire oportet, ut ignis vim facilius sustineat. Simile fere est vitrum excipiendo præponendum, sed am-
plissimum, quod duas in se habeat libras aquæ distillatæ. Fictili retorta media pars sale, ut dixi, præparato im-
pleatur. Mox eidem, ut fieri solet, fornaci transversim imposito, altera continens aquam externam opponat-
ur. Ignis primis quatuor horis sit valde levis, deinde paulatim augeatur, donec fumi, vel nubecula alba flu-
antibus similes in cucurbitam ex Retorta rostro intrare videantur. Quod si fiet, simili modo ignis regatur, quam-
diu illas videre licebit, quod plerumq. per sex horas durare solet. Deinde paulatim spiritum urgeto, ignem ma-
gis, atque magis augendo, quousque retorta penitus candescat, atque sic ignis per triduum, aut quo diutius co me-
lius conservetur, non habita ratione, quod nec gutta, nec visibiles alii spiritus sursum ferantur. Licet enim
nulli conspiciantur, videbitur tamen in fundo aquæ & parietibus vitri indices aliquid pulveris albi cuncta adhe-
rere. Quem ego cum, ut eo plus terra istius alba colligerem, per sesquialteram mensē simili igne urgerem, in-
dies apponi, atque augeri observavi: atque, quod mirandum, singulis diebus per hora, incerta tamen, mediam
partem, adeo gratus, adeoq. fragans odor, non in ipso tantum conclavi, ubi parabatur opus, sed & à longe, imo
per integram aliquando domum percipiebatur, qui nec optimo etiam Mosco gratia cedebat, quod ipse cum aliis
Magnificis Dominis, quos, ut scis, huius testes habeo, non sine magna admiratione sapus deprehendi. Est au-
tem terra ista adeo dulcis, ut si quis bene eam degustarit, dulcedinem, nec vino, nec alio liquore aliquot horis ex
ore ablucere possit. Credebam ego nonnunquam terram hanc esse alterum sumum, sive vaporem eorum, quos
in igne genitos ad compositionem elixiris & dulcorationem liquoris solventis, &c. sapius Geber Chymistarum
Princeps requirit. Facta priore hac destillatione, ex recipiente vitro omnia sunt eximenda, atq. partes inter se
confusa, mixta aqua scilicet aceti, olei, salis & terre istius dulcis ab invicem exactissime separanda. Quod ita
fiet. Ponantur illa in cucurbita imposito capello in Balneum Maria, seu cacabum servente aqua plenum & len-
tissimo igne effluet aqua paulatim, donec tota emanarit. Terra vero ista alba, quam Cretam referre dicebam
in cucurbita interea dum aqua separatur, paulatim concreset in lapillos oblongos, partim obnatantes, partim
neque vitri parietibus adherentes, diaphanos, dulcissimos, ignis patientes: liquefcent enim neque igne evapo-
rant, qui tum parvulo ligneo & foraminibus pleno cochleari, quasi pro desumendis carnibus coci utuntur,
vis in die, aut quoties concreti apparebunt, eximendi sunt & custodiendi. Pro maximo enim secreto quibusdam
ad conficiendum elixir expetuntur. Similiq. ratione pergendum, donec aqua omnis finit, & acetum per
alembicum emanarit, quod gustu facile est deprehensu. Remanebit autem in fundo oleum salis limpidissimum,
ex albo virescens, quod à facibus, quas paucas in fundo admixtas habet, in vasculum ex purissimo vitro Ve-
neto paratum diffunde. Si quam purissimum id esse, quis exoptet, poterit in Balneo Maria denuo destillando,
quod adhuc secum aqua habet, separare. Hoc, inquam, est Oleum salis, saporis, ut prius dicebam, tuque ipse
gustasti. Limonum, cui si laminas auri purificati imposueris, in cineribus calidis triduo sensim illud liquecet,
& paulatim omne in aquam convertetur, coloris vere aurei, quæ tutissime intra corpus a quovis assumi possit.
Si quis facilius, & citius aurum illo dissolvi expetat, addat sal, quod a principio Retorta diximus imponen-
dum, aliquid salis nitri: Solvetur enim facillime, sapore manente eodem. Interea vero de ignis regimine sit
plurimum sollicitus, levis enim error totum opus destruet. Scia cum, ut prius dixi aqua hac auri dum recens
est, & nuper parata, aliquid quamvis id vix perceptibile, acerbisapiat, mihi si illa iterum paranda esset, plane
statuissem, facere periculum, an cristallinus istis, quos dixi, lapillis adeo dulcibus aliquid illi gratia addi posset.
Quod facile, cum ex eodem utraque sint parata sale, futurum sperarem. Sin minus succederet, extracto tamen
Saccharo, cuius aliquoties inter nos mentio facta est, id facile præstari posset. Illud enim à facibus suis, quas ha-
bet plurimas, tenaces pici nigre non dissimiles, graviterque olentes, adeo ut pauci Saccharo tales adesse crede-
rent, probe expurgatum, longe redditur subtilius: dulcedinem autem, pauca licet quantitate mixtum, aliis ad-
dit longe maiorem, quam commune Saccharum. Præterea colore aureo, quacumq. per se limpidi sunt & aquea,
tingit. Scio plena vasa vini sublimati hoc ipso mixta ac dulcorata pro aqua vita, bono lucro divendita & di-
stracta. Habet enim præter alia in se hoc à plurimis desideratum, quod cuicumque liquori mistum, facile eo dis-
solvitur, & omnibus partibus exacte miscetur, neq. unquam subsidet: quod in parandis aquis illis ex spiritu vini,
aquis vita vocant, plurimis hactenus defuit. Ideoq. varii varie illis gratiam conciliare conati sunt, alii enim
vis passu id efficere sperarunt, alii vasi recipienti Juleb infundere, cui spiritus ille vini distillans misceant, sed
quam felici successu ista tentarint, ipsi viderint. Verum huiusce cum experientiam ego sapius fecerim, atq. ad
hanc rem plurimum conferre sciam, ne quid meorum te lateat, rationem ipsius conficiendi subiungam. Perficitur
vero quicquid ad hoc requiritur potissimum, aceto distillato. Namque si Saccharo partem aceti infundatur,
in calidis cineribus, paucis diebus repositum, totum liquecere & dissolvi videbitur, cui si vinum adaes sublima-
tum, brevi partes illa puriores à facibus adeo separantur, ut ab illis facile diffundi possint, rubeumq. assumit colo-
rem. Quod si quis solidiorem ipsius consistentiam exoptet, in cucurbita cineribus tepidis imposita lente destil-
lando, id facile impetrabit, sed vitrum ubi Saccharum eximere voles frangi oportet. Hac ratione præparatum
Saccharum, si miscueris auro nostro potabili, non dubito, quin dulcius id & gratius gustui, temperata ejus
acervitate, effeceris. Jam si non substantiam, auri dissolutam desideras, sed potius ejus tincturam, quam laudibus
prosequitur in sua Chirurgia Theophrastus Paracelsus, opinor, te, si periculum feceris, non ita magno labore
ex no-

ex nostra illa aqua elicere eam posse. Modum enim ibidem ipse tradidit, cum inquit, salsedine à resoluta, per aquam dulcem diligenter abluta, tincturam auri, spiritu vini excipi, & deinde ab eodem separari debere. Porro nunc maxime inquirendum videtur, in quo cardine totum versatum negotium. Utrum aliqua harum, quæ hæcenus pluribus pro Auro potabili diversè parata sunt aurea aqua, verum illud Aurum potabile sit antiquorum, aut recte illius loco exhiberi possit. Quamvis autem de hac per multos annos abstrusa Medicina, ipsismet autoribus, adeo eam colantibus, egre quid solidi, ac certi nobis statui possit, tamen quantum ex lectione plurimorum, de hac re autorum, privato studio, labore & sumptibus percipere licuit, apparet plerosque, autores Chymicos, ubi de lapide suo philosophorum, vel elixir dicto, loquuntur, constanter & unanimiter asserere quod illa ipsa Medicina non tantum, si super metalla, quæ (quod auri perfectionem & durandi vim non habeant) imperfecta vocant, projiciatur, statim illa redigat in auri perfectam & incorruptibilem substantiam sed etiam in liquida forma sumpta (ubi tum Aurum potabile dicunt) morbos omnes arceat, juvenilem & prosperam valetudinem ad multos annos conservet. Adeoque unam & eandem esse ego rem Chymicis video Elixir & aurum potabile nulloque penitus differre, nisi ipso sere usu, nimirum quod alterum solidum & paulo fixius in metalla liquefacta projectum, illa perficiat, Alterum vero Elixir vitæ Raymundo dictum in aquam potui commodam resolutum, juventutem conservet, & vires restauret. Experientia autem certa mihi & aliis constat, neque quicquam hæc recte tractans inficias ire poterit, quin pleraque distillarum aquarum mutando argentum in aurum, aliquid, idque satis conferant & faciant. Verum ad uberiores perfectionem, quam Chymici promittunt, eas adhuc non redactas vidi. Licet enim metalla mutant, tamen hoc ipso, paucolucro suos sumptus & labores reperiunt, ac superant. Quod aliqui perfectionis illis adhuc deesse omnino arguit. Ad alterum quod attinet, morbos scilicet arceandos, & prosperam valetudinem conservandam visa, quidem sapius, ut dixi, aquæ similes debita adhibita ratione usurpata plurimum profuisse, sed qui omnes promiscue morbos istis curavit, dentes elapsos, & ungues restituerit, hæcenus vidi neminem. Quod (nisi, ut vereor, encomiis ejus Chymista in hoc, ut in plerisque solent, nimium indulgeant) similiter aliquid ad perfectionem illorum adhuc desiderari ostendit. Unde equidem quis non immerito antiquorum esse verum & perfectum Aurum potabile dubitabit. Minime tamen ideo usum ipsius omnino abjiciendum censeo. Cum enim auri pulvis Avicenna & reliquis Medicis ad affectus cordis & alios morbos adeo commendetur, & Arnoldus auri infusionem, & ejus candentis extinctionem in vino tantopere laudet, proculdubio longe plus præstabit, si in partes adeo subtiles & penetrantes omnes venas redigatur, idque maxime si absque rofione effecerit. Est altera veri Auri potabilis nota minime negligenda, quod est si imperfectis metallis mixtum ea perficiat, ex se tamen ipso Aurum reduci nunquam posse debeat, quod in aliis aquis, quæ colore aureo inscunt (qualis erat, de qua supra dixi, quam in edibus clarissimi Doctoris Galilæ præclara memoria croceo colore tingere videbamus) facile factu est. Affusa enim aqua fontana cui Tartari parum alii miscent, eam paulatim rursus exhalante, in fundo auri pulvis residere debet. Quod tamen, si recte paratur, aut per Alembicum ascenderit, minime evenit. Hæc ad te clarissime Matthiæ, ut dixi, non docendi nomine scribuntur, nec ut alii, quorum forte aliud est de his judicium, illa præferam. Quamvis, nec hæc natura secreta, quæ ad Medicum usum plurimum conferre possunt, aliquid, alius illa inquirendi occasionem præbent, aspernanda, & abjicienda arbitror. Unice enim detestandi videntur Zoili isti, qui viros bonos, cum, ut vitæ usuique mortalium consulant, plurimum diligentia, cura, laboris & sumptuum in perquirendis hisce naturæ secretioribus Medicinis conferant, nec forte semper omni ex parte ad vota res succedat, invidere eos ridendi, mordendi, ac carpendi finem nullum faciunt, neque tamen ipsi interea meliora in locum restitunt. Sed quum hoc nostro infelici seculo, clarissimorum etiam virorum conatus & labores felicissimi, horum morsus non effugiant, quid mirum, hæc ubi ad vota, non adeo facile perfici possint, ab illis (ut ignota plerique, carpunt) reprehendi, calumniis dilacerari? Alterum est hominum genus invidum, & inutile terra pondus, hu non minus reprehensione dignum, qui ingenio licet laboreque suo & industria aliquid operæ præstent efficiant, partim tamen ambitione adducti, ut habeant quo pro ceteris excellent: partim avaritia, & lucrum faciant, aliquando etiam per ignorantiam veterum scriptorum, quasi non eadem, aut meliora multo veteribus sint prodita, pro secreto, & quasi mysterio in privatum sibi thesaurum possident & celant, neque in publicum usum proferunt. Medium autem tenere beati. Tu igitur Præstantissime Matthiæ merito beatissimus, Tu omnium observatione, favore & benevolentia dignissimus. Tantum enim abest te aliorum in Chymicis inquirendis sudores naso suspendere, improbare, vel calumniari, ut ipse quoque domi tuæ fornaces extructas habeas, quibus te, ubi otium datur, sedulo oblectas, illiusque tantum profeceris, ut à te parata aqua, quæ à restaurando vitali spiritui, Aquas vitæ vocant, tam in Serenissimi Principis nostri, quam aliorum Magnatum Bohemorum manibus in dies versentur, & summi remedii loco merito habeantur. De fidelitate verò tuâ inventa ad publicum usum divulgandi, non est quod dicam, cum scripta tua clarissima abunde testentur, tibi, plenus rimarum cum sis (ut cum Terentio loquar) undique illa disfluere. Nihil enim tam egregium, tam secretum, tam rarum tecum delitescere, quod ad rei Medicæ cognitionem augendam faciens à te celatum sit, certo affirmare amsim. Argumento inter reliqua est Stibii calcinati usus, quem dum alii pro maximo secreto occultare studebant, tu Stibium primum, quod sciam, literis propalasti. Merito igitur præclarissime Matthiæ, quæ mecum de aqua hac aurea cognita & concepta habebam, ad te scribere videor, in certam spem veniens, te, si quid hujus ad rem Medicam, ejusve cognitionem augendam facere speravi, id exacto tuo & acri judicio confirmaturum, rerum usu, quo polles, per hæc ad altiora veniendi, viam monstraturum, & si quæ tibi de auro potabili conficiendo sunt alia hisce meliora, mihi & usui publico fideliter communicaturum. Quod ut candide, ingenue, ac liberaliter facias, pro familiaritate nostra minime dubito, & per illum, quo te prosequor, amorem, ac publicæ Rei Medicæ utilitatem oro & obtestor, Vale. Praga.

Lapis phs
lopho-
rum.Elixir, &
Aurum po-
tabile
idem.In Chymic
stat.Auri pulvis
Avicennæ.Stibium
calcinatum.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS,
Andræ de Blavv Medico,

S. P. D.

Respondetur præcedenti Epistolæ.



Etsi & sermonis spurcitie & affectata caligine obtenebrarunt scripta sua Magistri Chymici, re-
periuntur tamen ingeniosi homines hoc seculo, qui ex illis obscuris libris, non tantum vete-
rum autorum sententiam colligant, verumetiam opera mirifica, cum ad metallorum perfectio-
nem, tum ad hominis sanitatem, vel conservandam, vel instaurandam pertinentia, per ignem
efficiant. Quippe quemadmodum Magnes ferrum solum attrahit, argentum vivum solum au-
rum admittit, cetera metalla respuit omnia: sic ejusmodi ingenia ad veri scientiam nata, mirum quibus occa-
sionibus, quibus è libris, quibus ab experimentis, utilem & veram doctrinam extrahant, falsam respuant:
cum interea alii noctes diesq; laborantes nihil discant, nihil inventiant. Ceterum in primis admirabile mi-
hi tuum ingenium videtur. Vir Clarissime, qui ista in ætate, adhuc juvenili, præter absolutam artium omnium
caterarum, Medicæq; præcipue cognitionem in Chymica arte tantum profeceris, ut non solum antiquos Philo-
sophos obscuriss. intelligas, sed etiam experientia & usu confirmatus, idoneus videaris, qui hoc seculum tam ar-
tem præstantem, speculationis Philosophicæ partem fere nobiliss. scriptis edoceas. Ita enim astimo ex scripto eru-
ditiss. tuo, quod proxime mihi tuo nomine oblatum, contineret insignia quadam præcepta de ratione auri potabi-
lis præparandi. Id ego cum avidissime aliquoties perlegissem, dignum judicavi, quod meo Epistolarum operi in-
fereretur. Peto autem magnopere abs te, ne id factum a me agre ferat. Decet enim te, cum possis, publice tuo
ingenio prodesse multis. Ceterum quod ad rationem auri potabilis conficiendi attinet, nihil habeo, quod aut con-
tradiciam, aut te dicam splendidum: omnia enim uti lucide ita & verissime explicasti. In primis autem illud plenum
est ingenii & acuminis, quod omnes dissolvendi auri modos ad Salis mineralia redege-
ris. Itaq; omnino tecum sen-
tio, quod qui crani humani anteriore parte ad hanc rem utuntur, eos proculdubio id in Sal prius redigere. Nam
& ego memini aliquando me ex duobus cranis humanis Sal destillasse. Sic de ceteris cogitandum, seu herba
sint, seu metalla, prius ea ad Salis naturam per ignem esse convertenda, antequam ad hunc effectum adhibean-
tur. De facultatibus autem auri potabilis, dubium non est, quin ea sint maxima, cujusmodi arte eruditissime
recensentur. Ausim dicere, neminem Medicum absolutum esse posse, imo ne medicum quidem, qui in hac no-
bilissima destillandi scientia non sit exercitatus: id cum alibi, tum in primis in Chroniciis morbis est animadver-
tere, ubi tota massa sanguinea in universo venarum ambitu corrupta est, & referta multorum morborum semi-
nariis: hi, inquam, morbi citra metalla devinci vix possunt. Ea enim sola vi ignis ita attenuantur, eamq;
penetrandi vim acquirunt, ut habitum totius hominis facile permeent: cum interea cetera planta eousq; ignem
non sustineant. Ac qui ejusmodi morbos citra scientiam res metallicas tractandi aggrediuntur, non plerumq; re infe-
cta cum magno dedecore & suo, & artis Medicæ deficiunt. Nec desunt exempla magnorum Medicorum, qui re-
mediis Chymicis magnos effectus in curandis agris ediderunt. Ut reliquos taceam, Montanus certe nosti: a etate ce-
lebrerrimus Medicus tantum tribuit distillationibus, ut non solum iis ad agros curandos usus sit, sed etiam libros
multos de illis composuerit: qui quidem libri adhuc latent alicubi, prodituri aliquando in publicum, si tantum
bonum fata hominibus non amplius invidebunt. Interea te hortor, ut tu in eo genere juves studia discentium. Nec
vero patiaris te dimoveri calumniis levissimorum hominum ab exercenda arte tam nobili. Valeant illi: habebis &
tu, qui opus laudent, ingenium mirentur, laborem remunerentur. Multorum millium loco tibi sit Serenissimus
Archidux, qui te cum ob alias excellentissimas dotes tuas, tum vero ob Chymicæ artis peritiam (qua quidem quam
plurimos, difficillimos casus curare te indies experimur, amplo stipendio in aulam adscitum conduxit. Nec desunt
alii procures regni hujus, qui te amant & suspiciunt: quorum favore fructus facile est contemnere stoliditatem &
malitiam eorum, qui chymicæ arti detrahunt. Hæc paucis ad tuum scriptum libuit respondere. Non enim pluribus
poteram, & occupatus rebus aliis, & impeditus valetudine, qua in hac ingravescente jam ætate non semper aqua
commoda utor. Vale.

Sal ex osse
humana
picur.

Montanus
libros
composuit
de destilla-
tionibus, &
eis felicis-
sime usus est.



PETRI